



CORNELIVS . FRANCISCVS

DE . NELIS

Antverpiensium Episcopus
Illustrium ordinum Brabantiae
Assessor perpetuus

AETATIS.ANNO.LVIII.

F: Raimspina del. et Scul.



BELGICARVM RERVM
LIBER PRODROMVS;
SIVE
DE HISTORIA BELGICA
EIVSQVE
SCRIPTORIBVS PRAECIPVIS
COMMENTATIO:
QVA
VVLGANDORVM MONVMENTORVM SERIES,
PRAEFATIO, ARGVMENTVM OPERIS,
ET SVMMA RERVM CAPITA
EXHIBENTVR.

EX BIBLIOTHECA
CORNELII FRANCISCI
DE NELIS
EPISCOPI ANTVERPIENSIS.

MDCCXCV





EDITOR LECTORI

S.

Quam hìc in lucem proferimus Commentationem, decreverat Autor, non tam laboris impatiens quam maioribus curis impeditus, perpetua nocte premere, aut certe non huic tempori reservare, sed lucidiores, si forte orituri sunt, soles operiri. Consilium hoc, de quo non semel apud ipsum conquesti

sumus, fixum illi ratumque erat; at ita tamen ut facile esset deprehendere, non rem ipsam, sed temporum iniquitatem ei displicere. Pervicimus tamen ut Commentarium eius exscribere, exscriptum Typographo dare nobis liceret. Typographus suscepit lubens, quamquam sub incerta spe sequuturorum Codicum.

En igitur, tecum, Benevole Lector, fidenter illum communicamus, non parva, uti speramus cum tui gra-

tia; neque Autoris, quemadmodum etiam confidimus, ingratiis, aut iis certe non aeviternis. Itaque, quod felix faustumque sit, et cum bonis, *quod in Praefatione sua Livius ait,* precationibus, *BELGICARVM huncce RERVM PRODROMVM in publicum emittimus, ut,* (*neque indignus enim est, aut videtur,*) aera mereat liber Sosiis; *ne non Horatiano quoque, quemadmodum Liviano usi sumus, hìc verbo utamur. Caetera, quorum*

hoc suo Prodromo spem Autor fecerat, si sors voluerit, sequentur.

Accendat eruditus impigri Autoris labor hominum nostrorum studia, in Patriae monumentis historicis eruendis, ac latinis etiam litteris, sine quibus res omnis litteraria iacet sordetque, instaurandis. Scriptor noster ab adolescentia sua imprimis illas adamavit, atque eas, ni fallimur, redamantes. Quamvis etenim opellam hanc multa inter negotia fere occupa-

tus scripserit, et dolandae expoliendaeque tempus et animus defuerint, facile erit videre scriptores veteres apud eum nullo umquam tempore in oblivione positos fuisse; dabuntque elegantia Belgii nostri ac reliquae Europae, quae etiamnum supersunt, ingenia, laborem hunc non fuisse omnino invita Minerva susceptum. Vnum interim est, Amice Lector, quod te moneamus: memineris scilicet aliud *esse* grammatice, *aliud* latine loqui: *alioqui*

dum ex Despauterii tui calculis omnia diiudicas, vide ne tu maiorem quam noster, quem forte coarguis, errorem erres, *aut si Ciceronem sequutus hanc phrasim praefers,* maius peccatum pecces. *Itaque VTERE, FRVERE, et VALE.*

BELGICARVM RERVM

PRODROMVS;

SIVE

DE HISTORIA BELGICA

EIVSQVE SCRIPTORIBVS

COMMENTATIO.

DE

HISTORIA BELGICA

EIVSQVE SCRIPTORIBVS

COMMENTATIO.

I. Belgarum imperii originem et incrementa; regnantum, optimatum, nec non plebis ipsius mores, ingenium, per temporum seriem evolvere, vel, quod magis etiam e re publica futurum est, eorum qui ante nos sedulam in iis evolvendis operam posuere, quique plenius ac melius rerum caussas digessere, utpote ipsis originibus propriores, scripta luculentissima in medium proferre, iamdudum propositum nobis est; atque id exsequi tandem et opere complere, animo destinavimus.

II. Lucubrationes illae quidem, a multis laudatae, a paucis agnitae vel inspectae, latent pleraeque plures inter manu exaratos codices in bibliothecarum angulis; e quibus ut proferantur, eruditorum omnium, et totius patriae, immo et Germaniae, Galliae et Hesperiae (quae per plures aetates patria nobiscum communis fuit) vota exposcunt. His magno animo satisfactum imus, certi nec labori nec sumptui ulli parcere, dummodo efficiamus ut et exteri et gentiles nostri habeant, unde plenior rerum historicarum notitia hauriatur, et nostrorum hominum diligentia in eruendis iis, et a situ ac tenebris vindicandis, diutius haud requiratur.

III. Neque vero hic noster labor (quod aliquibus videri possit) unius

populi parva initia, res tenues, tardos progressus, brevi penicillo adumbrabit, aut exiguum terrarum angulum, velut in tabella descriptum, ob oculos ponet; uti facile erit persuadere iis qui nostrates historias vel a limine salutarint. Sentient hi profecto, quod res a Belgis iam olim praeclare gesta, et quae hinc profecta est gloria aut utilitas, vicinas nationes, Lotharingos, Gallos, Germanos quoque, Italosque, et quotquot ab antiquis Celtis prognatae gentes Europam nostram incolunt, iure merito complectatur. Sentient id universim omnes, dummodo pro rerum magnitudine ac dignitate argumentum hoc pertractatum viderint; atque ex nativo fonte, et ex ipsis, ut ita loquar, antiquitatis visceribus, quae in lucem proferenda sunt, eruantur.

IV. Et profecto, ut de vetustioribus omnino rebus sileam, quas in Belgica nostra, uti et in reliqua Gallia, priorum temporum caligo atra nocte involvit; ut Graecorum annalibus haud ignota nomina (quamquam hi, quod et Tacito observatum est, sua tantum mirantur) Belgios hic ac Brennos praeteream, quorum belli gloria et res fortiter gestae sese trans Alpinos montes et mare Ionium diffudere, sed qui ad nostram aetatem non nisi nomine tenus pervenerunt, idque

Horat. *Carent quia vate sacro;*

apud Belgas certe nata et educta videri potest Francorum potentia. Quascumque primum sedes gens illa habuerit, et, si vera non sit doctissimi patriarum nostrarum antiquitatum indagatoris sententia, qui non alibi quam

in Brabantia *Legum Salicarum natale solum* quaerendum esse, erudito opere ostendere annisus fuit: illud in confesso est, in Belgio nostro advenas Francos, postea quam Rhenum transiissent, per annos fere XL. pedem fixisse; et virium suarum, quas tanto successu contra Gallos Romanosque exserturi essent, veluti periculum fecisse. Illic lilia illa, toto orbe mox futura celeberrima, nata sunt, ut sano sensu loquar; et non sicut nugator ille, a *Lisia* haec deducens amne, qui Viroviacum ac Corturiacum, antiqua at nunc minuta oppida, praeterfluens, Gandavi in Scaldim influit: apud nos Francorum solium crevit et adultum est. Postmodum maximi quod olim fuit aut forte futurum est, imperii conditor, et totius prope Europae rector Carolus,

God. Wendelini Legum Salicarum natale solum demonstratum. Antv. 1649. in-fol.

Vid. ap. J. J. Chifletium in *Lil. Franc.*

non nomine tantum sed re Magnus, urbem Aquisgranum, in media Austrasia, (cuius maximam partem Belgae tenebant,) sedem principalem regni, et caeterarum urbium velut Metropolim statuit; et quamquam a Pyrenaeis iugis usque ad mare Balthicum, et quocumque eum seu belli ardor, seu pacis negotia vocabant, fulguris instar celer heros discurreret: in Belgio tamen habitasse, et sedem vitae ac fortunarum fixisse, optimo iure dicendus est. Qua quidem in re non novo exemplo usus fuisse, sed, quod Belgarum etiam gloriam antiquiorem facit, decessorum suorum iam inolitum morem sequutus videri potest. Namque ut praeteream et Carolum avum, et Pipinum patrem et avunculum Carolomannum; quorum hic in regio apud Liptinas palatio, (ho-

die *Lestines* ou *les Estines*, in agro Binchiensi, tertio a Montibus Hannoniae lapide,) celebrem illum anni DCCXLII. conventum habuit, in quo leges permultae, hodiedum superstites, et tam Imperio quam Sacerdotio imprimis utiles, perlatae sunt: Sigebertus, Chilpericus, Chlotarius, Dagoberti duo, aliique e prima apud Francos regnatrice domo principes, solenne habuere in Belgio morari, Belgium excolere et in deliciis habere. Cuius rei testes sunt tot ubique villae regiae, tot palatia; Valentianense, antiquissimum; illud Victoriaci ad Scarpam; Traiectense ad Mosam; Trevirensia duo, vetus et novum; Theodonis-villae palatium; Marsanense, Heristalliense et Iopilense; ut Noviomagense celeberrimum, aliaque plura, a Carolo Magno instaurata, o-

mittam: innumera quoque Edicta, sive, uti ea tunc vocare moris erat, *Praecepta*, in Belgio passim obsignata.

V. Belgarum itaque res et historia, a prima Francici regni origine adusque avulsam a praeclaro hoc stipite Lotharingiam, sub Henrico I. Germaniae rege, (quem factis nobilem ignobili cognomine Aucupem posteritas dixit,) propria Francorum ac Francici regni historia iure meritoque vocari debent. Atque haec quidem periodus quingentis, et quod excurrit, annis absolvitur. Neque minori consideratione digna sunt quae exinde contigere, quamquam iam attritis rebus et haud parum imminuta regni maiestate, tum per quassationes varias, quas a gentibus septentrionalibus toto pene saeculo nono et decimo citerior haec Europa passa est; tum per

divisionem Romani seu Germanici Imperii a regno Franciae; praecipue vero per pullulantem illam Vicariorum, ut ita loquar, ubique Principum potentiam, quos eadem pene aetas et nascentes vidit et adultos; et qui vix aliter poterant quam mutuis cladibus inclarescere.

VI. Tunc etiam videre fuit Caroli Magni genuinam sobolem patrio regno exutam, in Belgioque exceptam, per annos plures Bruxellis humili in palatio delitescere. Neque enim tum temporis Bruxellae inter Europaeas urbes caput efferebant; aut aliud fere erant quam illa sub Aeneae adventum antiqua Roma, vel potius Evandri Regia; ab iis scilicet Bruxellis, quas hodie videre est, tantum diversae, lenta quantum celsis a cupressis viburna aut humiles myri-

cae. Ibi Caroli Ducis, infelicis patris, (qui Aurelianis arcta in custodia reliquum vitae exegit,) haud multo felicior filius Otto, improles, annos paucos inglorius vixit; donec in Gerberga sorore tanti fulgoris superstes scintillula, sensim atque sensim augescens, primum Lotharingiae, Burgundiae postea, denique Austriae nomen illustravit; et in eam postmodum claritatem educta est, quam in Imperatore Caesare Carolo V., Belga iterum et Magno, suspexit orbis, in eiusque progenie hodie miratur.

Doultremanni Constantinopolis Belgica 4.° Mem. de l'Acad. de Brux couronnes en 1778. 4.° Acta et Foedera de *Rymer*, etc. etc.

VII. Medio tempore res nostrae arctiori vinculo cum Germanico imperio coniunctae fuere; fuere etiam cum Italiae et Byzantii regno, cum transmarinis Syriae ac Palestinae negotiis, nec non cum divisis brevi interiectu vix a

reliquo Belgio [1] Britannis. Quibus si mercatus celeberrimos, florentissima emporia, communicata quaquaversum per Orientem et Occidentem cum exteris gentibus commercia; si denique propiora temporibus nostris bella civilia addas, et scissionem illam luctuosam potentis imperii, ac iisdem legibus, lingua, dominatu feliciter eatenus utentium populorum, quae Philippo II. Rege contigit: profecto fatendum erit, vix aut ne vix esse historiam ullam, sive veterem, sive novam, quae rerum magnitudine ac varietate Belgicam aut adaequet aut superet; adeo ut si quis ex nostratibus Aeneas, apud exteras gentes res a Belgis suis fortiter aeque ac

---

(1) Est et in ipsa Britannia Belgium, de quo Viri docti commentati sunt.

praeclare gestas intueatur, verius quam ille apud Didonem exclamare possit:

Virg. Aeneid.

Quae regio in terris nostri non
plena laboris!

VIII. Caeterum multos eosque nobiles scriptores, qui seu patria seu Romana lingua res istas enarrandas suscepere, et nostra et patrum nostrorum aetas tulit. Et quidem tantus fuit eorum proventus, ut vel nudum eorum indicem texere, res sit infiniti pene taedii ac laboris; quam tamen a viro erudito, curioso rerum istarum et historiae omnis indagatore, aliquando susceptum iri confidimus (1).

(2) Dum haec commentabamur, ineunte anno MDCCLXXXIII., Io. Des Roches, scriptor *Epitomes Historiae Belgicae* in usum Scholarum Belgii, Bruxellis editae typis academicis, nobis huius rei spem fecerat. Spem hanc mors abrupit; et, si non abrupisset, pluribus intentus viri animus, varium ingenium, leves illas spes brevi fecissent evanescere.

IX. Verum enimvero in tanta scriptorum copia latent adhuc in eruditorum scriniis, latent apud urbium aut monasteriorum chartophylaces, Belgicae historiae autores praestantissimi, et, ut quod sentio eloquar, antesignani; qui quamquam maiori fide quam eloquentia, (nam et hoc fatendum est,) historiam tractavere, dignissimi tamen sunt qui in lucem publicam proferantur; et, quod iam a duobus retro saeculis factum oportuit, his, qui rebus nostris meliori stylo exarandis ac poliendis operam daturi sunt, Liviis ac Tacitis nostratibus facem praeferant.

X. Lumen hoc, sed variis dissitisque locis tremule se ostentans, sequutus est, qui primus apud nos, post renatas litteras, explosis fabulis, patriae historiae praeclaram operam impendit,

Flandricorum Annalium parens Iac. Meyerus. Excussis hic Bibliothecarum forulis, codices manuscriptos, quotquot reperire potuit, evolvit omnes, iisque egregium opus superstruxit, quod etiamnum posteri miramur; addito ab elegantioribus litteris, quibus a teneris innutritus erat, et succo et colore et sanguine.

XI. Quo tempore res Flandricas Meyerus, eodem fere Brabanticas conquirere et illustrare iam coeperat P. Divaeus, urbis Mechliniensis Syndicus, non mediocri et ipse doctrina multisque limati ingenii dotibus instructus. Sed eruditus ipsius labor spem scriptoris, eiusque, qua vixit, aetatis, omnino fefellit; utpote cuius pars aliqua non nisi octo vel decem post lustris typis descripta fuit, alia hoc nostro demum

P. Divaei Rer. Brabanc lib. XIX. Antv. 1610 4.° Ejusd. Rer. Lovan. lib. IV. — Annalium opp. Lovan. lib. VIII Lov. 1757 fol.

Commentarius de statu Belgicae sub Francorum imperio, numquam editus.

saeculo; reliqua sempiternis, ut credere est, tenebris occultatur.

XII. Feliciores aliquanto fuere Pontus Heuterus, Delfius, et Io: Baptista Gramaius, ambo Arnhemienses Praepositi; qui variis susceptis itineribus, religiosorum virorum scrutari bibliothecas et asceteria, scriptores historicos et ἀνεκδότους inspicere atque in commentarios referre, per annos plures solenne habuere. Haec profecto de se ipsi praedicabant, et iure ac merito; quamquam Gramaio paullo iniquior postera aetas, laudem diligentiae, et non nisi e puris fontibus proferendae veritatis studium, (quae omnia tantopere gravem scriptorem decent,) detrahere conata sit, eumque sublestae fidei arguere: non secus ac si monumenta apocrypha aut effinxisset ipse, aut efficta ab aliis, credu-

litate nimia in testimonium adduxisset. Sed vellem ut ipsi, adductis tabulis, aut constitutis vadimoniis, obiectum crimen demonstrassent. Nam dum scriptoris huius narem emunctam et industriam haud vulgarem considero, facile adducor ut credam, accidisse Gramaio quod Huberto Goltzio nostro, maximo huic veterum numismatum et rei antiquariae omnis helluoni; qui Moecenatibus fratribus Laurinis, patriciis Brugensibus, quum magnificum opus, quinque sat magnis voluminibus vix absolutum, procudisset; et tam immenso numero praestantissimorum omnis generis numismatum ectypa protulisset, incertos reliquit posteros, an non pars aliqua, uti autoris caelata manu, (erat enim mirus in his artifex,) ita et adinventa ab ipso, atque ab eius solo in-

genio et non ex antiquitatis fide profecta esset, et cum Patavinis fraudibus annumeranda. Sed si quae a Goltzio descripta numismata, Vaillantii, Patinii, Begeri, Mediobarbi, aliorumve recentiorum diligentiam effugerunt, atque hinc in suspicionem fraudis venire potuere; nonnulla etiam, quae novis curis detecta sunt, et in dies deteguntur, doctissimi ac diligentissimi Goltzii fidem liberare iam coeperunt, eumque Graecae et Romanae antiquitatis amatoribus cariorem reddere. Consimile Gramaio nostro fatum forte praesagire est; hac tamen perpetua eius culpa, quod illam suam calamitatem nullo negotio praevertere potuisset scriptor iste non illaudatus. Et quam sibi laudem, quam a posteris gratiam non meruisset, si vetera monumenta, quorum copiam

habebat et sese filo dirigebat, indicasse non contentus, ea ipsa integra protulisset, atque hoc pacto ab interitu vindicasset? Quod utinam et P. Divaeo, et Ponto Heutero, aliisque scriptoribus, qui ante vastitatem illam, quam, saeculo decimo sexto iam inclinante, Belgicae Bibliothecae passae sunt, lucubrationes suas vulgavere, consilium incidisset! Profecto haud dolentes haberemus, uti habemus Heuterum ipsum, magnam partem istorum monumentorum fuisse posteriorum temporum iniuria absumptam. Audiamus, si lubet, Heuterum, in Libros *rerum* suarum *Burgundicarum* ita praefantem: „ Vsus „ sum, inquit, in concinnanda histo- „ ria non solum Latinis auctoribus o- „ mnibus qui instituto meo serviebant, „ sed Francicis etiam ac Belgicis . . . .

„ manuscriptis quamplurimis, quorum „ nunc maior pars a nostri temporis barbarie, durantibus civium furiis, est „ discerpta. „ Et paullo post: „ Hos „ ego, cum caeteris, cum satis essem „ usus, monasteriis sincere remisi; qui „ postea contra meam et multorum expectationem, magno cum dolore, partim sunt discerpti, partim exusti: pleraque in usum Pharmacopolarum ablata, pauca non omnino barbaro „ quorumdam ingenio etiamnum custodita, quo meliori ac feliciori saeculo bibliothecis reddantur. „

XIII. Stragem hanc, quam a malevolorum manu infaustis illis Belgicarum secessionum temporibus res nostra historica ac litteraria tulit, alibi ab igne fortuito aut alterius generis infortuniis, communi rerum omnium mor-

talium fato, expertae sunt bibliothecae nostrates plurimae, qualis illa Gemblacensis, dives opum variarum, et praesertim manuscriptorum codicum; quorum e numero pauci servati, sed tamen insignis ille, et qui eiusdem fere pretii cum autographo creditur, Sigeberti Gemblacensis, chronographorum omnium medii aevi apud nos facile principis, chronicon seu historiam exhibens.

XIV. Bono itaque consilio factum est quod Aubertus Miraeus, Antverpiensis Decanus, in hanc cogitationem primus, ut ita dicam, apud nos devenerit, (exteri enim erant Schardius et Pistorius, qui *Sigebertum*, et *Magnum Chronicum Belgicum* iam ediderant) ut vetera monumenta in lucem erueret, iisque ab typographicis praelis aeternitatem assereret; qua in re vir lit-

terarum commodis proferendis natus, per totos annos XL., Principibus Alberto et Isabella, egregie desudavit. Vulgaverat is iam anno MDCVI. *Elenchum Historicorum Belgii* (1) tum temporis necdum in publicum editorum; sed quorum pars aliqua ab ipsomet Miraeo iam tum praelo parabatur, alia exterorum typis descripta fuit, pars maior operae ac labori nostro servata est.

XV. Iustus Lipsius, magnum illud Brabantici soli ac Lovaniensis Academiae decus, totius prope Europae consensu reip. litterariae Princeps designatus, (quamquam Taciti ac Senecae sui, quos scriptores unice adamabat, stylo exem-

(1) Quem etiam videre est in Ant. Sanderi Bibliotheca MSS. cod. Belgii.

Quintil. ploque nimium delectatus, *dulcibus*, ut et illi, *abundabat vitiis*,) cuiusvis doctrinae capax ingenium ad res patrias illustrandas transferre iam coeperat; et Historici Regii titulo a Philippo II. auctus, *in animum induxerat*, ut refert Swertius, *visere Religiosorum antiqua monasteria, Principis auctoritate; quod primi fere ac soli*, (addit idem Swertius,) *ad saeculi sui historiam scribendam Monachi sponte sine praemio se contulissent; sed immatura languentis corpusculi morte rebus humanis ereptus, quod serio at sero meditatus, infectum demum reliquit, ac posteris lampada abiens tradidit*.

In Athenis Belgicis.

XVI. Lipsio itaque succenturiatus ipse Franc. Swertius, idem et amplius aliquid, maioribus forte ausis, molie-

batur. Scriptores enim rerum Belgicarum omnes, veteres certe neque adhuc vulgatos, in lucem edere; et quod Pithoeus, Sirmondus, Bongarsius iam praestiterant in rebus Francicis; quod Andreas Schottus in Hispanicis; Hervagius, Schardius, Reuberus, Pistorius, Reineccius, Freherus, Vrstisius, caeteri, in Germanicis; in Italicis, Siculis, Anglicisque, immo et in Persicis, Turcicisve viri docti, egregie atque animose, plaudente orbe erudito, iam factitaverant: id quoque in Belgarum gratiam exsequi, et nostratis historiae corpus Francofurdianis typis emittere animo destinaverat. Cur patrios, eosque celeberrimos, municipis sui Moreti, Plantini generi, lubens volensque praeterierit, compertum non habeo: hoc tantum, quod praeclarus ille conatus

intra primum volumen substitit, in typographeio Danielis et Davidis Aubriorum anno MDCXX. Francofurti excusum; et in quo praeter Io: Gerbrandum a Leidis, Reinerum Snoium Goudanum, Aegidium a Roya Dunensem monachum, (scriptores non illaudatos quidem, verum quibus et meliores et vetustiores alii,) neminem conspicimus, ne *Anonymum* quidem *de rebus Belgicis*, quem tamen in ipsa fronte ac libri titulo autor promiserat.

XVII. Temporibus iisdem per Belgium universum tantus fuit litterarum proventus, tanta doctorum virorum egregiorumque scriptorum copia, quibus omnibus mens eadem, idem propositum, de communi patria ac bonis litteris bene mereri, et collatis studiis rem praesertim historicam pro virili promovere,

ut in aperto sit nullam aetatem fuisse apud Belgas, qua in ingenuis artibus ac disciplinis maiori sive industria sive gloria desudatum sit. Rubbenius eadem aetate artem pictoriam ad summum evehebat, stupendi in caeteris quoque artibus aut disciplinis vir ingenii, et omnigenae doctrinae flosculis ac civili prudentia ornatissimi, qualem vel epistolae eius nonnullae, quae autographae apud nos sunt, eum demonstrant; et quo auspice, incentore vel magistro, illustres alii artifices complures docuere, immortali nominis sui fama, nec vel ipsi cultissimae Italiae Belgicam cedere; regionibus caeteris, Gallicis, Hispanicis, Britannicis ac Germanicis, palmam longe praeripere.

XVIII. Sed ut rei litterariae ac instituto nostro, quod ad historiam spe-

ctat, memores immoremur, pergamusque ostendere quae tum temporis clarissima ingenia in eruderandis patriae monumentis ubique insudarint: Bruxellis, quem iam dixi, Miraeus, industria, labore, studio indefesso, praeibat, animabat omnes, adiutoribus Chiffletiis binis, ternisve; Patre scilicet Ioanne Iacobo, et *Natis*, Iulio ac Ioanne, *Patre dignis*. Lovanii Pet. Divaei vestigiis insistebant Gramaius et Haraeus; ille de quo iam plura praefati sumus; hic, *Annalium Principum Brabantiae* conditor. Antverpiae sedem vitae studiorumque fixerant Christophorus Butkenius, quo acutius nemo Principum nostrorum stemmata et genealogicas tabulas dispescuit; ac Casperius Gevartius, qui *Edmundi Dinteri* Historiae a se edendae spem fecerat; tum,

quos prae caeteris nominasse oportuit, e Societate Iesu doctissimi viri, qui, ducibus Rosweido et Bollando, praeclarum illud opus, quod *Acta Sanctorum* inscribitur, circa id tempus animo et calamo delineabant; quod postmodum in eam molem excrevit, quam hodie miramur.

XIX. Sed neque hic stetit optimorum scriptorum in Belgio exuberans fons et scaturigo. Trevirensia et antiquitates Belgicae Primae illustrabant Christoph. Browerus, Guilielmus et Alexander Wilthemii; Gallo-Flandriam Buzelinus; Brugis Flandrorum origines patrias, domos et sigilla Principum evolvebat Oliverius Vredius; Tornaci Leges Salicas Wendelinus; Morinos et Morinorum res Malbrancquius; ut alios plures omittam, non inferioris famae

aut ingenii. Et ut paucis complectar omnia, is fuit per omnes fere Belgii civitates, usque ad annum saeculi illius quinquagesimum, praestantissimorum ingeniorum proventus, is discendi ac docendi ardor, ut vix alibi parem invenias. Sed deferbuit hic brevi, et saeculo integro, quod insequutum est, tantum non interiit omne veteris doctrinae et historiae studium: cuius rei genuinas caussas facile esset depromere, ni temporis ac instituti nostri ratio prohiberet. Gratius profecto erit et iucundius ad ea tempora transilire, quibus faventissimis auspiciis res litteraria et historica e gravi somno, quo sopita erat, velut expergisci visa est, et subitaneo impetu novas vires animumque sumere.

XX. Contigit id circa annum saeculi huius decimi octavi sexagesimum, quo de instituenda Bruxellis bonarum artium ac disciplinarum, nec non elegantium litterarum Academia, iamprimum cogitari coeptum est, illudque mox actum, ut in manuscriptos codices, qui in Belgii bibliothecis adhuc laterent, inquireretur diligentius, omnesque foruli excuterentur, ex quibus utile aliquid aut profuturum, Historiae patriae incremento, proferri posse sperabatur. Quam in rem, annitente in primis patricio Comite de Neny, Sanctioris Consilii Praeside, scriptae litterae fuere Caroli Comitis Cobenzelii nomine, pro Maria Teresia Aug. tum temporis in Belgio regni administri, et ad omnia Religiosorum virorum asceteria ac Canonicorum collegia transmissae. Sed e-

gregium consilium si non fefellit, certe haud omnino probavit eventus. Oblati fuere aut detecti codices omnino pauci; et vix alia habita indicia, quam quae Antonius Sanderus in *Bibliotheca Manuscriptorum Belgii*, iam anno 1641 et 1643 collegerat et publici iuris fecerat. *Edmundi Dinteri Chronicon Ducum Brabantiae et Lotharingiae, Regumque Franciae*, sex libris distinctum; *Petri a Thymo Historia Principum Austrasiae, Lotharingiae* ac potissimum *Brabantiae, diplomatica; Iacobi Guisii Annales Principum Hannoniae; Gilberti Montensis chronicon*, aliique ex historicis nostris autores principes bene multi, (de quibus particulatim mox agemus,) atra nocte, qua tegebantur, immersi permansere; et de quo iure merito dubitari poterat,

num luce publica perbene dignus esset, utpote quo scriptore frigidius nihil, nihil ieiunius, Robertus Maquerellus in lucem editus est, et Lovaniensibus typis descriptus.

XXI. Sed quod felix faustumque sit, et quod praesens aetas ac posteri gratentur, iactura illa brevi resarcita fuit. Dinterum geminum, alterum ex Gevartii bibliotheca, Corsendoncanum alterum accepimus: tertium etiam, qui quondam Ioannis Miraei, Antverpiensis Episcopi, codex fuerat. Petrum a Thymo, quo scriptore luculentius nihil, nihil accuratius, ex chartophylacio urbis Bruxellensis, Consulum ac Senatorum beneficio. Iacobi Guisii annales latinos, quos Aubertus Miraeus Regum ipsorum munificentia in lucem proferendos iamdudum optaverat, quique

omnium opinione deperditi habebantur, ex ipso, ut credere est, autographo descripsimus, Insulis Flandrorum apud humanissimos ordinis Franciscani religiosos viros reperto, et nobiscum benevolentissime communicato. Gilberti Praepositi Montensis chronicon e latebris eductum est, et illustris viri Marchionis Chastelerii opera descriptum editumque, iam dudum sub praelo sudare desiit. Monumenta antiquissima bene multa, Brandonem, Limuisium, et chronographos alios quamplures; Molinetum, Clericum, caeteros, quorum nomenclator mox aderit, cum optimis exemplaribus contulimus. Verbo, nihil operae aut industriae reliquum fecimus, quo iam laudati scriptores, aliique complures, summa fide emaculati, descripti, illustrati, in publicum

emittantur, et cum eruditis viris, non tantum Belgii nostri, sed totius, ut vere dicam, Europae, (quibus, quod sperare licet, labor iste non ingratus vel iniucundus accidet,) quantocyus communicentur.

XXII. Sed iam Dinterum nostrum, Thymium, Guisium, caeteros; et quo quisque autor tempore vel vixerit vel scripserit, fusius tantisper et enucleatius enarremus.

XXIII. Ab Edmundo Dintero faciemus initium. Dinterus, cognomen hoc a vico *Dinter,* qui Maeslandici territorii in agro Sylvae-Ducensi pars est, procul dubio sortitus, quattuor ex ordine Brabantiae Ducibus, Antonio I., Ioanni III., Philippo I. et II., ab Epistolis sive a Secretis fuit. Si cui umquam scriptorum contigit vicinam tem-

porum suorum historiam certissimis ex monumentis contexere, ea Dinteri nostri propria laus ac felicitas dicenda est. Monumenta omnia quae ab anno MC., ab Henrici V. scilicet Imperatoris, et Godefridi Barbati, Lotharingiae et Brabantiae Ducis, aevo, historiae suae libris IV., V. et VI. larga manu interspersit, ex publicis privatisque Principum, quibus, serviebat, tabulariis, haurire ei copia fuit, illaque minime omnium adulterata, aut amanuensium incuria foedata, in lucem proferre. Quae antiquiora sunt, aliis ex fontibus fide integra repetiit; seque in primis sequutum profitetur Fratris Andreae chronica, eiusque vestigiis institisse. Non quod Andream hunc, (qui Marchianensis ad Scarpam coenobii monachus fuerat, cognomento Sylvius,

quique saeculo duodecimo clarebat, et cuius chronographicum opus Raphael de Bello-campo, eiusdem monasterii asceta, typis Duacenis Petri Bogardi anno 1633 describendum curavit,) Dinterus noster nude ac ieiune expresserit: contrarium, si geminos istos scriptores inter se conferas, facili negotio patebit: sed quod filum eius historicum, seu chronologicum ordinem, sibi sequendum duxerit, ac scriptoribus aliis praetulerit.

XXIV. Qua in existimatione toto Belgio ac per Germaniam fuerit autoris nostri celebratissimus labor, abunde declarat non illa solum scriptorum series, qui a tribus saeculis, et quod excurrit, non certius aliunde aut luculentius quam ex hoc Dinteriano fonte historiarum suarum lumen ac materiam

hausere; sed et pragmaticos inter ac politicos praestantissima ingenia, et principalibus reipublicae curis admota, *Viglius ab Ayta, Libertus de Pape, Coswinus Wynantius*, aliique, apud quos Dinterus non raro utramque paginam facit, quotiescumque seu principum seu populorum iura, commoda, utilitates, ex antiquorum rebus gestis scriptisve dirimenda vel comprobanda sibi sumsere. Immensum foret, et quod non patiantur commentationis huius angustiae, testimonia omnia in medium proferre. Satis sit monuisse, autorem *Magni Chronici Belgici*, a Pistorio vulgati, Dintero fere aequalem, (ut qui saeculo quinto decimo necdum exeunte floruit,) magistrum Edmundum (ita enim eum appellat,) plerumque et laudare et exscribere; quod et alii

chronologi faciunt; sed non eodem semper pudore ingenuo, cuius praecipua pars est, ut recte Plinio observatum, *monere per quos profeceris*. Dinteri nomen saepe saepius apud illos ipsos scriptores, qui ei plurimum debent, alto silentio premitur. Qua iniuria et scriptores alii afflicti; quos inter Dunensis monachus Brando, chronographus egregius, cuius edendi consilium quoque nobis est, et de quo sectione XLIV. proxime sequenti agemus.

In Praef. His. Nat. ad Tit. Vesp. Aug.

XXV. Interim ut aliquod elogiorum specimen, quibus Dinterus ab aequa posteritate mactatus fuit, hic exhibeamus, iconem eius proferemus, ex autographo fideliter expressam, et ab Auberto Miraeo his subscriptis versiculis iam olim ornatam:

Hic vir hic est, tibi quem promitti saepius audis;
Hic praeco historicus, terra Brabanta, tuus.
Hoc duce magna Ducum attollet se fama tuorum,
Et Latii Heroas ambitiosa premet.

Caetera, quae de Viro hoc cum fructu praenoscenda, in ipsa edendi operis fronte prompturi sumus.

XXVI. Supra memoravimus Casperium Gevartium, bonum historicum, antiquarium summum, optimum poetam, et qui iam senex stipendiariis Ludovici XIV. donis auctus fuerat, quamvis homo exterus, sed doctissimus: memoravimus, inquam, Gevartium hunc, edendi Dinteri consilium suscepisse. Verum quo fato, quave de caussa, res in irritum ceciderit, reperire non potui-

mus, vestigare certe adnisi sumus. Pervolvimus in hunc finem epistolas eius anecdotas omnes, quae in bibliotheca Io: Bapt. Verdussenii exstabant, nunc in Academica Bruxellensi; tum virorum doctorum ad Gevartium scriptas: si forte ea de re mentem suam aperuisset apud amicorum eruditissimos aut fidissimos. Quo in numero Wendelinum, Peirescium, Gassendum, ambo Puteanos fratres, Chiffletios, Miraeum, Petavium, And. Schottum, Holstenium, Gronovium, Vlitium, atque alios bene multos computabat, non per Gallias tantum ac Germaniam, sed quotquot toto Belgio litteras colebant. Rara temporum felicitate, qua communia studia commune etiam habebantur vinculum animorum; simultates inter eruditos aut rarae aut nullae; nul-

la invidentia excelsos animos inficiebat aut egregios conatus interturbabat; quae vitia iam pene adulta, latius serpunt hac profecto aetate nostra, quam res publica aut litteraria patiatur, magno bonarum artium dehonestamento. Sed ad Gevartii epistolas redeamus. Invenimus inter eas schedam unicam, ab And. Schotto ad Gevartium directam, qua eum ita interpellat. „ Scribit Cle-
„ mens Steichius pro Aubrianis ....
„ de Dintero vero tuo, his verbis: *Ad*
„ *haec valde miror ubi Dinterus hae-*
„ *reat: nam procul dubio absolutus.*
„ *Vtinam ad manus nostras veniat!*
„ *Statim edi curabimus.* Quare si a-
„ libi vis edi, tuo sumptu, aut pro-
„ mere statuisti, nec posteritatem eo
„ fraudare, ad illum verbo scribe,
„ ne vanus ipse habear. Neque erat

„ cur Valerio Doctori in eius Biblio-
„ theca Belgica spem eius historiae e-
„ dendae faceres, ut ii solent qui au-
„ reos promittunt montes, praestant
„ nihil. Neque dictis constant ipsi iu-
„ stitiae sacerdotes! Sic parturiunt
„ montes! „

XXVII. Id certe constat, ut et annotatum est in catalogo codicum manuscriptorum qui in bibliotheca Corsendoncana servantur, Dinterum a Ioh. Gevartio, Casperii patre, non aliunde quam ex ipso codice Corsendoncano descriptum fuisse; quem codicem nobiscum communicatum ab optimo illius loci Antistite iam supra diximus, quique aut autographus est, aut autographi loco semper habitus, et etiamnum habendus. Descriptus est partim in charta linea, partim in pergamena; ea ratione,

ut post folia linea quatuor, (nonnunquam octo vel decem,) sequantur pergamena duo; quam normam ab initio libri ad finem usque servatam videmus: eo, uti credere est, consilio, ut alternis hoc modo foliis, pergamenis et lineis, in plura saecula liber perduret. Quod ex consimili artificio, non semel eo saeculo usurpato, consequi natum erat; ut nobiscum facile consentient, qui harum rerum peritiam profitentur. Patet vel hinc librum illum, si non ante inventam typographiam, certe ante artem illam iam aliquo modo perfectam propagatamque, scriptum fuisse; et forte, superstite etiamnum Dintero, utpote qui anno 1448 mortuus est. Degebat hic tum temporis in Corsendoncano coenobio, quo eum, aulicae ac turbidae vitae pertaesum, hi-

storicus labor atque adamata studia deduxerant, quae profecto *secessum scribentis et otia poscunt*. Non pauca igitur veri criteria in hoc conspirant, ut codicem nostrum pro autographo habeamus; qualis etiam a Miraeo, Valerio Andrea, Sandero, Foppenio, aliisque habitus fuit.

XXVIII. Praeter hunc, alii duo codices perpetuo nobis ob oculos versati sunt, quorum iam supra mentio quoque facta fuit. Caeterum ne ulla in re diligentiam nostram lectores optimi requirant, quum apud Iesuitas Antverpienses, Bollandiani laboris atque industriae heredes, inaudivissemus exstitisse olim volumina duo, hoc titulo notata; *Io: Gevartii adversaria ad historiam Brabantinam;* et, *Diplomata, aliaque monumenta Brabanti-*

na, ex bibliotheca Gevartii; nihil operae reliquum fecimus, ut illorum voluminum nobis copia fieret, existimantes nos Gevartiani laboris, quo Dinterum illustrandum susceperat, reliquias forte fortuna reperturos. Sed nostra nos spes fefellit. Et primus quidem codex nihil aliud nobis obtulit quam pura puta adversaria, id est, ex notis et obviis scriptoribus digestas in annos singulos, at plerumque interrupta serie, temporum Belgicorum nonnullas adnotationes: alter privilegia quaedam Brabantica, in Edictorum libris passim vulgata; uterque, ut veteri verbo dicam, *pro thesauro carbones.*

XXIX. Superest ut moneamus, nos in eo esse ut totius operis Dinteriani elenchum sive indicem, cum aliorum monumentorum indicibus, commenta-

tioni huic nostrae subiiciamus: eo utique consilio, quod infra declarabitur: futuros scilicet maiori operi nostro, cuius hic exspectationem facimus, veluti promulsidis loco. Adiiciemus his alia quaedam monumenta, nec non aliqua chronica brevia, quorum nonnulla ad Pipini aevum referenda. (1)

XXX. Minoris apud exteros et nostrates, post Dinterum, famae, sed non minoris futurus pretii, dummodo cognitus, egregius atque omni encomio dignus Petri a Thymo per lustra decem Belgicae historiae impensus labor. Fuit vir hic ecclesiae SS. Michaelis et Gudulae Bruxellis Canonicus ac *Thesaurarius*, nec non urbis Bruxellensis

(1) Quod inpraesentiarum promissis nostris haud stemus, non nostro, sed vitio temporum fieri, facile lector aequus agnoscet.

Syndicus, (hodie *Pensionarium* vocant). Quam quidem sacrorum ac civilium munerum coniunctionem si quis mirari velit, cogitet is et Dinterum ipsum, de quo iam plura loquuti sumus, et quotquot pene tum temporis in re litteraria, saepissime etiam et in re publica, utilem Patriae ac Principibus operam navabant, Sacris addictos fuisse, atque ordinis ecclesiastici viros. Quod quidem non loci, quem ipse teneo, amore, (quamquam nemo id iure coarguat,) sed solum pro re nata, et quia verissimum est, hic commemoro.

XXXI. Caeterum viri huius eruditus labor, quo nec in historia nostra operosior, nec diligentior ante eum ullus exstitit, tria volumina, eaque maximi moduli et ponderis, complectitur, in membranis seu charta pergamena

nitidissime exarata. Volumen primum primas, ut ita dicam, operis lineas et veluti prolusiones exhibet: continet etiam nonnulla, hic illic, et praesertim sub libri initium, sublestae fidei, seu dicere mavis ἀπόκρυφα; non tam scriptoris quam saeculi vitio; quaeque autor ipse, secundis curis, emendanda ac resecanda censuit: magna profecto tum diligentiae, tum iudicii laude.

XXXII. Et quidem, quae hanc laudem egregie confirmant, autor res publicas summa ubique cura prosequitur; privatas sicubi attingit, parcius id et velut ἐν παρόδῳ. Itaque librorum ipsius partitiones hunc fere titulum praeferunt: *de Carolomanno, et legibus istius temporis; de Pipino, et legibus, etc.* Tum leges ipsas, vel totas exscribit atque operi suo plerasque in-

terserit; vel summa ac praecipua illarum capita adducit. Haberemus igitur hic, et si alias deperditae forent, veteres plerasque Francorum leges, et Germanicorum Imperatorum, tam de rebus sacris quam civilibus, constitutiones: habebimus unde vel post eruditos Pithoei, Sirmondi, Baluzii, et novissimi *Capitularium Regum Franciae* editoris, Chiniaci labores, Capitularibus illis lucem aliquam aut medicinam adferre posse forte haud difficile sit. Et, ut verbo complectar omnia, utque iam initio dixi, nihil plenius, nihil accuratius quam hoc historicum et diplomaticum penu; non nostris solummodo rebus illustrandis; sed et iis quae ad Austriam, Lotharingiam, Franciam ac Germaniam pertinent, et ad Hugonis Capeti tempori-

bus non exstinctam, sed apud Lotharingos et Brabantinos solos superstitem, Caroli Magni domum, et in Bruxellensi aula regnatricem.

XXXIII. Accidit huic operi quod thesauro accidere solet; quem dum nimius servandi amor aliorum oculis ac manibus substrahit, et velut latibulo condit, ab hominum quoque memoria prorsus eliminat. Edixerat autor, ut opus, quod per totos quinquaginta annos summo studio elaboraverat, post obitum suum in bibliotheca urbis Bruxellensis collocaretur; in eaque, ne auferendi potestas esset, pro more istius temporis, catenis ferreis figeretur. Credendum profecto neque locum ita satis tutum visum fuisse. Ablatus enim liber, Patriciorum iussu, et in locum secretiorem abditus, nostra demum aeta-

te cognitus et inventus est, ac beneficio amplissimi et nobilissimi eiusdem urbis Senatorum collegii cum Academia Regia communicatus, et mihi tandem concreditus. Brevi is in lucem prodibit; non tantum Brabantiae nostrae, (cui in primis necessarius est,) sed totius Belgicae, immo et Germaniae ac Galliae, atque universae Hesperiae, quod fidenter coniicimus, favore ac plausu.

XXXIV. Hi libri, quamquam aut a paucis aut a nemine scriptorum nostrorum, qui expiscandis veterum monumentis iam a duobus saeculis sedulam operam navaverunt, procul dubio visi fuerint, fama tamen noti fuere: creditumque posterioribus temporibus, vel igne absumptos, vel alio quovis malo fato deperditos.

XXXV. Miraeus, in *Elencho Historicorum Belgii*, cuius supra mentionem iniecimus, quemque in *Bibliotheca* sua *Belgica manuscripta* recusum dedit Antonius Sanderus, ita de hoc opere: (pagina apud Sanderum 27) „ Petrus a Thymo, Ghirlensis, Cano- „ nicus ac Thesaurarius Bruxellensis, „ *Historiam Brabantiae*, tribus vo- „ luminibus comprehensam, posteris re- „ liquit; quae volumina Senatus Bru- „ xellensis in archiviis adservat. „ Verba haec accuratam libri notitiam profecto non redolent. Nec multo rectius; immo maiorem errorem errat Valerius Andreas, vel potius qui hunc supplevit et illustravit, Franciscus Foppenius, in Bibliotheca Scriptorum Belgii. „ Pe- „ trus a Thymo, (ait) reliquit Chroni- „ con Brabantiae usque ad tempora Ca-

„ roli Burgundiae et Brabantiae Ducis,
„ voluminibus tribus in pergamena de-
„ scriptis, quod Senatus Bruxellensis
„ in archiviis suis servavit; donec an-
„ no 1695 in fatali illius urbis per mis-
„ siles Gallorum ignes conflagratione,
„ periit. Dicunt alii furto ablatum fuis-
„ se. „ Vtrumque, quod felix faustumque sit, ex aequo falsum. A vero etiam abludit, Chronicon illud, vel potius historiam, eamque non Brabanticarum tantum rerum, sed Francicarum et Lotharingicarum, usque ad Caroli Burgundi tempora deductam fuisse, quum in Ioanne Duce IV. desinat; Philippi Burgundi, quem Carolus patrem habuit, quique totos XXX. annos regnavit, res fere non attingat: adeo ut in historico nostro mire hallucinati sint scriptores nostrates omnes; et clare ap-

pareat, quam recte a nobis pronunciatum sit, lucubrationes eius, quamquam praestantissimas, *a paucis*, aut *a nemine visas fuisse;* scriptorem, fama tantum et nomine cognitum.

XXXVI. Eamdem diligentiae ac veritatis laudem requiras in iis quae Bibliothecae Belgicae conditores subnectunt, his verbis: „ Chronicon hoc, eodem Thymo curante, in rhythmos „ vernaculos translatum est: id testan„ te ac laudante autore Chronici vernaculi Brabantiae, editi Antverpiae „ anno 1512. „

XXXVII. Si qui rhythmi vernaculi historiam Belgicam enarrant, uti sunt sane plures, sed illi duriores plerique et inconditi, ii profecto non magis Petrum a Thymo, quam alios quosvis vetustiores historicos exprimunt; praeterquam

quod rhythmi illi inconditi, ut iam diximus, leves, ieiuni, et passim breviusculi sint: et Petrus noster multa rerum ac monumentorum mole gravis.

XXXVIII. Sed piget taedetque hic errores loqui et hallucinationes meras. Quis quantusque historicus noster fuerit, aut quid ab eo effectum sit, ex ipsius operis breviario, quod Dinterianum Elenchum proxime excipiet, melius patebit. [1].

XXXIX. Si, quo quisque scriptor tempore vel vixit vel scripsit, eodem ipse ordine a nobis enarrandus fuisset, debebat, uti et factum est, Thymium anteire Dinterus: sed utrumque Guisius. Vir hic non infimis apud Montes Hannonios ortus natalibus, ineunte

(1) Et hoc tempori dandum est, si ab opere nostro absit.

saeculo XIV. nascenti tum apud Belgas S. Francisci Familiae sese socium dedit, in eaque Theologicas ac Philosophicas disciplinas, per quinque lustra, suos edocuit. Postea quaestionum, quas *φιλοσοφούμενα* illa pariunt, tricas fastidiens, ad historiam, et praesertim patriam, animum adiecit, eamque paucos inter illustrandam suscepit. Lustratis itaque coenobiorum bibliothecis, excussis urbium regestis, virorum consularium atque in aula Principis versantium autoritate fultus, condidit *Annales, seu Chronica illustrium Principum Hannoniae*, latino et inculto, qualem tempora illa ferebant, sed pleno priscae fidei ac candoris sermone; quos libros in vernaculam Gallorum linguam Philippi Boni, Burgundiae Ducis, temporibus et iussu transductos,

vulgavit Parisiis, anno 1531 Franciscus Regnaldus; at libris aut sectionibus plurimis decurtatos; prout ex ipso opere nostro planum fiet, et in libri prolegomenis fusius edisseremus.

XL. Tota pene Galliae Belgicae, qua ad meridiem vergit, historia, innititur huic Guisiano operi; quod non pro meritis laudavere, qui illud in decursu tantum et primoribus, ut ita dicam, labris attigerunt, maximi semper fecere quotquot penitus inspexerunt. Nec refert quod multa in historia Romana peccet Guisius; vel quod Troianas fabulas et Priamo atque Antenore prognatos Belgicae Principes, Sylvios quoque ac Brabones, toto libri initio crepet. Quale peccatum et Dinterus noster, et ante Meyerum caeteri fere

scriptores peccant. An non victoris gentium populi historia similibus fabulis tota superstructa est? Aut Tito Livio, historiarum principi, fraudi fuit, quod veteres Romanorum glorias ab Ilio et Aenea, tum Caesarum, quod et poetae faciunt, *a magno deducat nomen Iulo? Datur haec venia antiquitati,* (liceat enim ipsis, quibus se Livius verbis, Guisium absolvere,) *datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat*. Praeterea non Guisii hoc vitium fuit, sed illius qua vixit aetatis; quando omnium animos prurigo haec invaserat, et repetitae a nescio quo Hunibaldo ac Lucio Tungrensi fabulae, eo avidius excipiebantur, quod per eas Principum auribus adrepebatur; quibus scilicet haud iniucundum e-

Liv. in Praef.

rat, quod dicebantur *genus* trahere *alto a sanguine Troiae.*

XLI. Itaque, quod iam dixi, non Dinterus ipse, non alii cordati viri ab hac labe immunes; quomodo Thuani aetate, uti videre est in prioribus LXXX. illius historiarum libris, quamquam eo scriptore diligentior nemo, nemo forte magis ἀδεισιδαίμον,) passim genethliacis et astrologicis fabulis fides intendebatur, et perpetuus de annis climactericis sermo erat. Porro, quod ad Guisii nostri laudem summopere facit, duo in egregio hoc scriptore imprimis animadvertenda censeo. Alterum quod Troianam originem, et fabulas omnes, et quidquid amore gentis ac Principum suorum peccavit, septem prioribus libris, seu operis sui parte prima veluti recondidit. Tum, quasi novum opus

inchoans, et vetera illa crepundia respuens, ac praeteritarum nugarum osor, opus suum ex integro orditur, quod parte secunda et tertia, utraque septem libris constante, absolvit; ubi, et si *manent vestigia ruris*, (uti certe manent toto libro I.) tamen optimarum adnotationum seges, quae ubivis utramque fere paginam facit, haud sinere visa est, ut multa a nobis, ex secunda praesertim parte, resecentur; tertia supra omnem laudem indubitatae fidei se ferente.

XLII. Et profecto non tantum historiae Francicae parens Chesnius, sed qui eum sequuti sunt, novissimi atque eruditissimi Galliarum ac Francicarum rerum conditores, Benedictini ordinis apud Parisienses viri, nobiscum consentiunt: et suo illi exemplo nos do-

cuere, ex libris nostris penitus abiicienda non esse haec mediae aetatis, oblectamenta dicam, an nugamenta? Iis infercitos utique dederunt nobis scriptores bene multos, quos enumerare et longum et supervacuum esset: nulla id publica querela; immo cum magna utentium ac legentium gratia.

XLIII. Hanc profecto gratiam ab aequis lectoribus sibi postulat Guisius; non tantum quod maiorum res gestas quam diligentissime expiscatus sit; sed quod fontes ipsos ac rivos, quos ipsum adire contigit, et quorum non paucos posteriorum temporum incuria exsiccari fecit, perpetuo fere indigitet. Atque hoc duorum alterum est, quod in scriptore nostro probandum in primis existimavimus. Sic Almericos, Hugones Tullenses, ignota nomina, aut thesau-

ros deperditos, passim et sequitur et exscribit: Gilbertum, Montensem Praepositum, lubens etiam, qua licet, ducem sequitur; sed minori hodie cum nostra gratia, utpote qui Gilbertum ipsum iam prae manibus habemus. Quod superest, Guisiani operis elenchum, sive quis malit epitomen aut summarium dicere, post elenchum Thymiani et Dinteriani operis, commentationi nostrae subiicere animus est: ad eumque eruditos lectores remittimus.

XLIV. Guisium Chronographi alii complures excipient, mole quidem ii fere minores, (si hoc numero Io: Brandonis Chronodromum eximas,) at non raro et rerum pondere et meritis praegraves aut aequales. Ab anecdotis, id est, hucdum haud vulgatis, exordiemur; ad alios forte, qui in Acherii,

Martenii, Labbaei, aliorumve thesauris, thesaurorum ipsi omen et instar habent, id est, altius reconditi iacent, postea transituri; si consilio huic lectores nostri adriserint.

XLV. Caeterum, quo numero aut ordine chronica nostra anecdota edituri simus; et an integra et non interrupta serie, (quo exemplo nobis praeivere Reuberi, Pistorii, Vrstisii, Freheri, aliique rerum Germanicarum Scriptores praestantissimi,) an in partes secta, (uti a Chesnio, Bouquetio, aliisque Gallorum doctissimis usurpatum,) hucdum constitutum nobis non est. Diligentius itaque in illud inquisituri sumus, et non nisi cognita caussa diiudicaturi. Iuvabit interim obviam ac promiscuam aliquot istiusmodi chronicorum, quae penu nostrum continet,

hic nomenclaturam texere, et sequentibus paragraphis enarrare.

XLVI. Agmen illorum ducent chronica tria vel quatuor, optima, antiquissima, sed brevia; ex codicibus Stabulensis, Epternacensis, et San-Maximiniani apud Treviros monasterii summa diligentia iam a sesqui-saeculo descripta. Debemus ea Guilielmo et Alexandro Wilthemiis, viris e Societate Iesu doctissimis et illarum rerum curiosissimis; quibus cum Brouwero, Sirmondo, Papebrochio, aliisque ea tempestate tum sacrae tum profanae antiquitatis helluonibus, perpetuum fuisse studiorum ac litterarum commercium, ex epistolis eorum amoebeis, quae complures apud nos sunt, magna cum voluptate didicimus. Ex eorum itaque schedis autographis chronica illa accu-

ratissime depromsimus; ut et alia plura intemeratae vetustatis monumenta, quae ipsi e San-Maximiniano, Prumiensi, Gorziensi, Epternacensi, caeterisque, septimi, octavi et noni saeculi tabulariis, in usus suos descripserant; cum perpetua nostra, ut et posterorum, erga praeclaros illorum virorum labores ac indefessa studia grati animi recordatione.

XLVII. Chronica illa (San-Maximinianum, Stabulense et Epternacense) subsequetur aut praecedet chronicon monasterii S. Bavonis, quod ex exemplari autographo, labente saeculo XII. exarato, summa alacritate ac diligentia descripsimus, ab Illustrissimo Principe Ferdinando de Lobkowitz, Gandavensium Episcopo, pro sua erga nos benevolentia et in bonas litteras adfectu, lu-

bentissime nobiscum communicato. Quo in pretio coaevum hoc, ut ita dicam, Sigeberto Gemblacensi, chronographorum nostrorum facile principi, monumentum habendum sit, illudque paucis hactenus visum, et a nemine, quod sciam, integre descriptum, non est quod moneamus; res ipsa per se eloquitur. Caeterum illud fatendum est, etsi egregia multa chronico illi interspersa, et ad res Flandrorum ac Belgarum pertinentia, passim reperire est; multa tamen iam alibi obvia ac vulgata inibi sese offerre, ipsumque Sigebertum, totus quantus est, tantum non exscribi.

XLVIII. Quam in rem, (ut semel id in limine adnotemus,) iuvat hic in mentem revocare quod a viris doctissimis iam pluries observatum, Bernar-

di Montfalconii verbis disertissime proditum est: „ Ex frequenti chronicorum „ huiusmodi tractatione, „ ait vir ille celeberrimus, „ animadverti, chronographos eadem fere ipsa, quantum „ ad prisca saecula, repetere, quae in „ antiquioribus chronicis ferebantur; in „ iis vero quae paullo ante, vel etiam „ a ducentis circiter annis ad suum usque tempus contigerunt, multa nova et aliquando insignia, referre; „ in iis vero quae ad patriam suam „ pertinent, quaedam nova et ab aliis „ haud observata, interserere. „ Vnde consectaneum est, maximum antiquioribus chronicis pretium habendum; suum item, levidensius quamquam, recentioribus; tum recentiora cum antiquis componenda: ita ut, ne crambis eadem recoquatur, quae similibus verbis aut sen-

In Praef. ad Bibliot. Mss. codd. etc.

tentiis priores narravere, e subsequentibus eradantur; servato solummodo eo quod cuique peculiare est, et, ut Horatius vocat, *insigne, recens, indictum ore alio*. Haç via, qua Labbaeus, Bouquetius, aliique viri doctissimi ante nos iere, non tantum legentium labori et fastidio, sed et crumenae parcitur, et de librorum mole, iam satis alioqui per se magna, multum detrahitur; unde hac quoque nobis eundum esse, facile nobiscum plures consentient.

XLIX. Chronicon monasterii S. Bavonis, cui annus MCLII. finem imponit, excipient chronicà minimum tria; chronicon nempe coenobii Rolducensis, altero ab urbe Aquisgrano lapide; tum Brabantina duo, quorum unum, optimae notae, sub finem saeculi XIII. conditum fuisse, scriptor ipse testatur; alterum

multo locupletius, sed a commentitia Troianorum origine, (quam resecabimus,) initium faciens, ad annum usque MCCCCLXX. narrationis filum perducit.

L. Chronica illa scriptores anonymos autores habent, sed *veteres* et *fidos*, uti Ant. Mathaeus de suo illo depraedicat, quod Vltraiectinis typis edidit anno MDCCVII., derivatum ex codice Gemblacensis monasterii; qui quidem codex, amplissimi Abbatis beneficio, modo apud nos est; et cuius forte partem alteram, quam Ant. Mathaeo videre haud contigit, bono publico vulgabimus. Contulimus nostra cum veteri codice, qui apud Bollandianos socios Antverpiae fuit; dabimusque ea, qua licet, accuratissime.

LI. Ex eadem libraria supellectile, quae hodie in Bibliothecam Regiam

Bruxellensem transiit, accepimus Theodorici Pauli Gorcomiensis sat magnum opus, quo tum historiam antiquam omnem, tum recentiorem, et maxime Europaeam, complexus est; sed leviter hanc et perfunctorie. Nonnulla tamen, quae ad res nostras et ad autoris aetatem propius accedunt, inde excerpemus; uti et ex alio codice bibliothecae Ecclesiae Tornacensis, scriptoris eiusdem volumen alterum nobis offerentis; in quo de *cladibus Leodiensium* non pauca, scitu digna, et quae apud scriptores alios minus enucleate descripta, invenias.

LII. Bibliotheca Tornacensis altera, vetustissima scilicet monasterii S. Martini, Benedictini ordinis, alium nobis, eumque autographum, codicem pergamenum detulit, *Aegidii Mucidi,*

sive Li Muisis, opera historica continentem; quae quidem opera fuere olim Andreae Chesnio haud incognita vel inaudita. Muisius hic, sive Mucidus, (namque eum et Valerius Andreas, et alii plures, hoc nomine appellant,) circa annum MCCLXX. in lucem editus, iuvenem sese S. Benedicti familiae Tornaci adscripsit; et latinis gallicisque litteris, prout illa tempora ferebant, haud leviter eruditus, in utraque lingua, tam prosa quam versu, plura reliquit monumenta, quae historiam illorum temporum, et quae S. Ludovico regnante contigerunt, ad annum usque MCCCCLI. (quem provecta aetate bonus ille vegetusque senex attigit,) miro candore ob oculos ponunt: ut vel hinc in primis digna sint quae cum pluribus communicentur.

LIII. Quum haec scriberemus, forte fortuna incidimus in volumen satis spissum, manu exaratos codices complures referens; qui quidem in limine nihil promittèbant praeter Limburgensia ac Leodiensia, minoris momenti, et in his Feudorum seu *Reliviorum*, qualia illa aetas vocabat, monumenta. At dum curioso oculo lustramus singula, ecce nobis autoris incerti Chronicon, seu potius rerum Brabanticarum atque Leodicensium Historiam, ab anno MCCX. ad annum usque MCCCXXXVI. et quod excurrit, non eventus solum, sed (quod proprie historici scriptoris est,) rerum caussas, continua, id est, non interrupta serie et historico filo enarrantem.

Liber hic, quod dolendum, non unius librarii seu amanuensis opera descriptus,

ingentem triginta annorum hiatum exhibet; et quae hiatum hunc subsequuntur, ad usque historiae finem, ita notis, siglis, seu *abbreviationibus*, quas vocant, oppleta sunt, ut nesciamus an maiorem laborem ullum in enodanda veteri scriptura umquam susceperimus.

Caeterum qua diligentia, quo iudicio acri et imperturbato, qua rerum etiam politicarum notitia instructus autor se ad scribendum contulerit, ex uno alterove libri loco facile erit intelligere; quare ea, non selecta, sed prout sese offerunt, accepta, haud gravate huc adducemus.

„ Postquam (*iam discesserat*,) (1)
„ Imperator, Henricus Dux Lovanien-

(1) Deerant hic in exemplari nostro voculae duae, per hasce, *iam discesserat*, aut consimiles, supplendae.

„ sis, sibi soli dominium Lotharingiae
„ reputans esse relictum, gladium in
„ vicinas sibi gentes rotat; et cum e-
„ xercitu copioso Hollandiam sibi sub-
„ iugat, item Comitem Gelrensem suae
„ ditioni submittit, nexu homagii i-
„ psum confederans: quem post mali-
„ ciose captivat, cogens eum promit-
„ tere, se soluturum tria millia mar-
„ charum Coloniensium; quas ut cele-
„ rius solvat, Comes, loco sui, in ca-
„ ptivitate filium suum primogenitum
„ reliquit, et liber abiit: Episcopo Leo-
„ diensi Hugoni, homagio ligio sese
„ constringit, totumque allodium suum,
„ qua extenditur, a parte Traiecti us-
„ que ad Rulemont, de manu Episco-
„ pi recipit, offerens illud super alta-
„ re S. Lamberti per manus Ducis de
„ Lembure, etc. . . . . .

„ Intrantibus Gelrensibus, Dux vult „ comburere Leodium. Sed Castella- „ nus de Bruxella, habens ibi filium Ca- „ nonicum, hoc dissuadet; cuius con- „ silio Dux cives et Canonicos in Pa- „ latium convocat, et facit eos promit- „ tere fidelitatem, et Imperatori etc. etc. . . . . .

„ Brabantini revertentes cum laeti- tia, cantabant:

„ *Inter Brabantinos sint flores,*

„ *Et inter Leodienses dolores.*

„ Muha autem non obsidetur, quia for- „ tissimus erat locus; sed ad propria „ redeunt.

Quae de bellorum caussis, de mu- tatione monetarum, multa itidem quae Leodicensibus magis quam Brabantinis, aut San-Trudonensibus, favent, super- addit autor, huc conglomerare super-

vacuum foret: itaque ad alia properantes hisce supersedemus. Satis sit hìc monuisse, autorem nostrum eodem fere modo res gestas decurrere omnes; adeo ut Lamberto Aschafnaburgensi, ac saeculi Ottoniani scriptoribus, parum aut nihil concedat.

Et prima quidem ea nos cogitatio subiit, esse forte scriptoris non incogniti opus, seu potius fragmentum aliquod libri qui iam exstaret publice typis exscriptus, atque adeo non inter anecdota computandus. Habemus enimvero monumentorum historicorum iam sylloges bene multas; neque omnia quae iis continentur, primo sese obtutu sistunt; et sunt quae fida etiam ac tenaci memoria facile nonnumquam elabantur. Sed neque nostra, neque litteratorum aliquot virorum, (quos consu-

luimus,) diligentia, scriptori nostro similem uspiam partum offendit.

Alterum quod inquirere nobis curae fuit, illud est, de autore libri, qui tempore suo aestumatissimus esse debuit. Hic dum omnes nos in partes versamus, alius non occurrit praeter Iac. Warnantium, Norbertinae familiae, et Floreffiensis, quod ad Sabim est, monasterii virum; quem illa tempestate non procul ab Hoiensi ad Mosam oppido scriptis inclaruisse, ac latino idiomate illorum temporum historiam condidisse, certum nobis erat. Sed hunc frustra inquisitum, excussis tam Floreffiensis quam aliarum bibliothecarum forulis, una cum nobilissimo viro Comite Oultremontio, qui Antverpiae degit, quique non historiae patriae tantum, sed elegantiae omnis parens est

et assectator, iam inveniri posse desperabamus, quum is ipse, aut certe ei perquam simillimus, sese ex improviso obtulit, et gaudium nostrum complevit.

Dicebatur multa ex eo in usus suos transtulisse Ioh. Oultramosius, seu dicere mavis, Transmosanus, patriae et ipse historiae vernacula lingua scriptor; sed, pace eius dixerim, minus profecto nobilis: adeo ut de huius asserti veritate nobis dubitare fas sit. Rem post haec indagabimus. Certe si verum est, ab autore suo tantum recessit interpres, quantum a limpidissimo fonte remotus ac limosus rivulus.

LIV. Postremus, quod latinos scriptores adtinet, nobis sermo erit non de scriptorum ultimo, sed uno fere e primipilis, Iohanne Brandone, Dunensis apud Flandros asceterii monacho,

deque *celebri* eius *chronico:* ita enim vocant quotquot de eo verba fecerunt; de quo quidem plura in ipso Excerptorum nostrorum opere, (neque enim integrum Brandonem daturi sumus,) edocebimus. Meyerus certe in concinnandis annalibus suis haud parum se ab scriptore hoc adiutum sublevatumque profitetur. Et quamquam Aegidius de Roya, religiosi eiusdem instituti sodalis, illud in compendium redegerit, redactumque, et ab Andrea Schotto descriptum, Franciscus Swertius Francofurtensibus typis, (uti iam supra diximus,) anno MDCXX. foras prodire iusserit; multa tamen in priori opere reperire est, quibus res nostrae, et quae saeculo praesertim XII., XIII. et XIV. domi militiaeque a nostris gesta sunt, egregie illustrantur: adeo ut,

quod de Iustini historiarum ex Trogo Pompeio deductarum, Epitome, veteribus observatum est, hic quoque usuveniat; epitomen nempe maioris operis sitim aut desiderium, non restinguere.

LV. Caeterorum, quorum aut copia nobis est aut propediem fiet, Chronicorum omnium, et illorum quidem latine conscriptorum, numerum ac rationem inire, difficile admodum ac supervacuum esset. Praeterquam enim quod in limine uniuscuiusque adscribemus, quae ad autoris, temporis, locive, unde depromtus erit codex, notitiam facient: multa nobis etiamnum indaganda sunt, a quibus lucem aliquam obsoletis illis veteris aevi reliquiis affundi posse, haud immerito speramus; ut maiori ita cum fructu legentium manibus terantur.

LVI. Hactenus de Latinis, seu qui latine scripserunt, Historicis, nobis sermo fuit; superest quod de Gallicis moneamus. Ordinem illorum ducet Balduinus Avenensis, filius Margaretae Flandricae et Burchardi Avenensis, Balduini Imperatoris Constantinopolitani nepos, vir supra aetatem et egregiam fortunam sapiens; et, quod illo aevo atque illis apud nos litterarum incunabilis rarissimum, multorum librorum helluo et avidissimus conquisitor; scriptor ad haec, caetera inter, earum rerum, quae temporibus eius contigere, et *quarum pars magna fuit:* adeo ut clariorem historicum, quacumque tibi lance scripta eius expendere lubeat, apud nostrates frustra inquiras.

Creditur is quidem scripsisse sermone latino; quo sermone fragmentum

genealogicum eius operis primus edidit Lucas Dacherius; et post hunc Alphonsus Baro *le Roy*, atque hic luculento illud commentario instructum. Verum addubitavit ea de re iam quidem Valerius noster Andreas; et sunt profecto non pauca, quae in contrariam sententiam me quoque facile pertrahant, in ipsius operis fronte pluribus discutienda. Interim ipsius operis elenchum, sive summa librorum capita, quae Philippo Labbaeo, doctissimo e Societate Iesu Sacerdoti iam innotuerant, promulsidis loco praemittemus.

LVII. Balduinum insequetur, qui post longam plurium saeculorum intercapedinem scripsit, Ioh. Molinetus, Philippi Argentonii, Cominii Toparchae, aequalis; qui Froissardo ac Monstreleto, necnon Oliverio a Marca suc-

centuriatus, res tota Europa, et praesertim in Belgio et Gallia gestas pluribus libris, praegrandi volumine, complexus est; ab anno MCCCCLXXIV. eas enarrans ad annum usque MDVI. quo Philippus, in serie Regum Hispaniae hoc nomine Primus, Caroli V. Caesaris, Belgarum Principis, pater, diem suum extremum clausit.

LVIII. Molinetus noster Diverniae, in agro Bononiensi, qui ad Oceanum Britannicum vergit, natus, (quo omnino anno, incertum,) Margaritae Austriacae, Maximiliani I. et Mariae Burgundicae filiae, a Bibliothecis et Historiis fuit, *Indiciarii* titulo, (ita enim vocabant,) quo et praeceptor eius Georgius Castellanus, Eques, usus fuerat, quique ad Ioannem Marium postea pervenit. Canonicis, in Aula

Comitis apud Valencenas, adscriptus, inter aevi sui Poetas praeclarum nomen adeptus est, quantum quidem illa tempora, atque artis apud ipsos Gallos infantia, ferebant. Et quidem Poetae nomine apud posteros magis quam Historici inclaruit; non quod somniaverit in Parnasso, aut quod versus eius pumice liniri aut cedro digni fuerint: sed quia typis editi, ad plures pervenerunt. Molinetum itaque Poetam memorant, quotquot de Poetis Gallicis commentarios edidere; Verderius, Cruci-Manius, Gouietius, et nuperus ac nobilissimus *Miscellaneorum Gallicorum* autor: Historicum vero, si nostrates scriptores excipis, aut nemo aut pauci. Solus ille, quem dixi, *Miscellaneorum Gallicorum* clarissimus scriptor, Molineti Annales sub hoc elogio brevi-

ter transmittit. [1] „ Bibliothecae nonnullae Molineti Chronicon manuscriptum servant; quo res temporibus suis gestas ab anno MCCCCLXXVII. ad annum usque MDIV. (MDVI.) prosequitur; quod quidem Chronicon videre nobis haud contigit. Verum quo loco illud habendum sit, autoris nugae et quisquiliae, quas modo enarravimus, iudicium facient. „

Bene quod invisa sibi fatetur scriptoris nostri opera historica; at quod de re sibi incomperta statuat; quod Historici ingenium, stylum, industriam,

(1) „ On conserve dans quelques Bibliothèques une Chronique manuscrite de Molinet, qui contient l'histoire de son tems depuis 1477 jusqu'à 1504 (1506). Nous ne la connoissons pas: mais l'on peut juger de son mérite par ce qui vient d'être cité du même auteur. „

Mélanges tirés d'une grande Bibliothèque; De la lecture des Livres François. I. partie, pag. 322.

omnia haec ex Poetae ingenio metiatur: an non censura haec praecipitis iudicii vitio infecta dicenda est? et nonne pronunciari potest de eo, qui ita arbitratur:

Aequum licet statuerit, haud aequus fuit. Sen.

LX. Dissimile profecto de Molineto nostro iudicium tulere, quotquot eum penitius introspexerunt; et prae caeteris vir in Europaea historia illustranda feliciter versatus, N. Godofredus, ex familia doctorum hominum feraci oriundus, et iam ipse Phil. Cominaei commentariorum editione celebris. Hic eamdem operam, quam Cominaeo navaverat, Molineto quoque impendere paratus erat, ni mors vitae simul ac studiorum filum abrupisset.

LXI. Caeterum Historici nostri labor et ingenium non aliunde melius innotescent, quam ex ipso opere, quod vulgabimus; aut, si in antecessum aliquid saltem de eo praeripere placitum est, ex operis breviario, quod ad calcem commentationis huius nostrae adnectemus, quemadmodum in Dintero, caeteris, praestare consultum duximus; utili, uti confidimus, et lectoribus nostris haud futura iniucunda opera. (1)

LXII. Iuvabit certe viros, rerum nostrarum ac veritatis historicae amatores, conferre ea, quae scriptor noster praeclare ac luculente enarrat, cum iis quae posteritati ac literis mandata sunt ab illo, quem iam diximus, Philippo Cominaeo; scriptore nobili et

(1) Immo, quod praetermittimus, et alteri loco, aliis temporibus reservabimus.

cordato, sed principibus nostris iniquiori, utpote qui a partibus Ludovici XI. stabat, atque adeo Carolo, eiusque heredi Mariae Burgundicae, adversus erat. Sane non aliunde veritas ipsa magis elucescit, quam ex conspiratione, nonnunquam et collisione contrariarum partium Historicorum. Vbi concinna atque eadem tradunt, in confesso veritas habenda est. Vbi disparibus sententiis res gestae enarrantur, lectoris eruditi et prudentis erit, uniuscuiusque sententiae librare pondera; tum in res ipsas altius inquirere, et non nisi momentis omnibus bene perpensis, et historicorum ingenio, studiis, affectibus rite introspectis, iudicium ferre. Atque utinam felicitas eadem nobis obtigisset, in rebus ab aetate et memoria nostra longe disiunctis! In quibus plerumque

bene nobiscum agitur, si vel scriptor unus, in tanta saeculorum caligine, facem nobis praeferat, viamque monstret, salebris quantumvis ac sentibus obsitam. Et vero, quid non profuisset, Ctesiam integrum, aliosve, melioris etiam notae historicos, Herodoto obiicere potuisse? Vel, Tito Livio scriptorem aliquem rerum Fidenatium, Veientium vel Sabinorum, seu ex Amilcaris aut Annibalis familia, Carthaginensem? Et ut ad res nostras propius accedamus, Caio Caesari, qui tot tantaque in historia Gallica et Belgica peccavit [1],

---

V. Mem. de l'Acad. de Brux. t. I.

(1) Idem de C. Iulio Caesare iudicium iam alibi promsimus, sed obiter et velut aliud agentes; quod quidem enucleabimus, quum tempus et occasio ferent. Interim ne soli et perperam de scriptore alioquin doctissimo, et quem in oculis ferimus, ita existimare videamur, forte fortuna apud Gallicarum rerum autorem non contemnendum, sed minus quam oportuit, hodie vulgo co-

et quo tamen solo in antiquioribus nostris rebus fere duce utimur, scriptorem Celtam, Druidem, Bardumve? Gregorio Turonensi ac Fredegario, Sulpicium Alexandrum, Renatum Profuturum Frigeridum, aut oculatiorem aliquem doctioremque, ex Italorum aut Graecorum, sive etiam Saxonum gente? Profecto res nostras elegantius ac sincerius descriptas haberemus, atque in maiori luce, primis sex septemve post Christum saeculis, versaremur. Sed, nunc e diverticulo in viam.

LXIII. Molinetum subsequetur, si non antecedet, Iac. Clericus, Gallicus Gallicarum, seu potius Belgicarum rerum scriptor, qui res gestas Principum

---

gnitum, incidimus, qui non vulgaria, et nostris plane consentanea refert. Sed de his postea, et maiori cum otio.

ac gentilium suorum annalibus vernaculis complexus est, temporum illorum aequalis. Vir hic, ex nobili apud Atrebates prosapia oriundus, vixit sub Philippo Bono, Burgundiae Duce, cui inter aulicos Palatinos nomen dederat. Fratrem habuit Io. Clericum, coenobii Vedastini in patria antistitem; qui anno MCCCCLXII., octogenario maior, ex hac vita excessit. Ex quibus facile est agnoscere, tum scriptoris aetatem, tum quibus adminiculis in scribenda historia usus sit, et qua id fide praestare potuerit; quae tamen omnia melius etiam prudens lector advertet ex ipso operis elencho, huic lucubrationi, si ita visum fuerit, subiiciendo.

LXIV. Iac. Clerico synchronum alium scriptorem, primae apud Belgas nobilitatis virum, Ioannem Haininium

adnectemus, aut nos, aut qui iisdem studiis delectatur, neque levem in emaculando hoc scriptore, scriptoribus omnibus, etiam nostratibus ignoto, operam posuit, doctissimus nobisque coniunctissimus Bruxellensis Academiae socius.

LXV. Viros hos nobiles nobilissimus alter scriptor excipiet, ex domo Comitum Hoogstratanorum, Iac. Lalaignius, Montinii Toparcha. Scripsit is Hodoeporicon Philippi III., Burgundiae et Brabantiae Ducis, at hoc nomine primi Hispaniarum Regis, Philippi Boni abnepotis, quo tempore animosus ac regius iuvenis, tam magnitudinis quam formae suae haud nescius, ad capessenda Hispaniarum regna e Belgio per Gallias proficiscebatur. Lateri eius Comes haesit Montinius; to-

tumque aulae statum et festos apparatus, et quae sive in itinere, sive in duplici cum Ludovico XII. Galliarum Rege congressu, Blesis primo, tum Lugduni, gesta sunt; adventum eius in Hispaniam, et in Belgium reditum, omnia festive atque accurate descripsit; multa addens tum temporis ignota Belgis, de Hispanorum rebus, moribus, foris, templis, palatiis; quae neque nobis ingratum aut iniucundum erit a viro in Principis aula primario discere, res scilicet virorum nobilium, nobili, et ut tempora illa ferebant, eleganti calamo exaratas. Oculos modo iniiciat lector in operis elenchum seu breviarium, cum caeteris breviariis commentationi nostrae subiiciendum. (1)

(1) Immo resecandum, quod et de aliis iam monuimus.

LXVI. Philippum patrem aequum est filius Carolus excipiat, patre suo diuturnitate temporis, felicitate, ingenio, tanto superior; rerum etiam gestarum magnitudine ac varietate, perpetua quoque profectionum et peregrinationum serie, cum antiquo illo Belgarum Francorumque Principe Carolo, re et nomine Magno, ad amussim conferendus. Octavianum certe Augustum, Nervam Traianum, et quotquot post illos fuere Caesares, laborum patientia, peregrinationum numero atque asperitate, hic noster vicit, a solo eius sanguine et herede fortasse vincendus.

LXVII. Patet hinc quo loco et quo in pretio habendum sit, tam varium tanti Principis Hodoeporicon; si modo sincere ac sine fuco, a quovis oculato aut idoneo teste conscriptum sit.

Et profecto eiusmodi illud est quod e triplici codice manuscripto in lucem proferemus, luculento testimonio iam pridem probatum ab illustri Leibnitio, qui in animo habebat illud in publicum emittere. Idem ante nos meditatus fuerat vir eruditissimus, veteri amicitia omniumque officiorum genere, dum vixit, nobis coniunctissimus, D. Anselmus Berthod, celeberrimi apud Sequanos Luxoviensis coenobii rector; sed cognito consilio nostro maluit hanc nobis spartam relinquere, collata tamen eam in rem praeclara symbola, descripto scilicet nitidissimo exemplari ex autoris ipsius autographo, quod in Granvelliana apud Vesontiones bibliotheca exstabat.

LXVIII. Autor operis Vandenessius, Carolo Caes. ab infantia comes

additus, atque omnium eius peregrinationum socius. Commentarios suos ab anno MDXIV. exorditur, quo anno iuvenis Princeps sub tutore Maximiliano Aug., avo, et amita Margareta Austriaca, Belgium moderante, Bruxellis aut Lovanii agebat; quos quidem commentarios non tantum ad secessum usque Caroli in Hispaniensi D. Iusti coenobio, sed ad annum Imperii Philippi II. quartum, qui saeculi XVI. sexagesimus fuit, perducit.

LXIX. Huc usque scriptores coaetaneos enarravimus, qui aut omnium oculos hactenus effugerunt, aut, si paucis cogniti, multorum utilitatibus inservire haud potuere, utpote non tantum editi numquam, sed in bibliothecarum angulis obscure delitescentes. Et tamen ex hoc numero non pauci sunt, quos

Miraeus, Leibnitius, aliique, inter doctos doctissimi, cum pluribus communicandos iamdudum enixe postulaverunt. Patet hinc merito a nobis sperari, fore ut gratiam aliquam a praesenti aetate, nec non apud aequos posteros ineamus, qui tantum in nos laboris atque impensae suscepimus, quantum suscipere necesse fuit, ut monumenta illa, non singula, non pauca, sed ea larga manu collecta, in lucem proferamus. Hac certe nos spe solamur; hac malevolorum obtrectationes, si quae ingruant, facile feremus. Neque enim adeo nobis blandimur, ut, quod nemini mortalium, qui publico prodesse voluere, hactenus concessum fuit, concedendum nobis putemus: defuturos scilicet qui studiis nostris, quorum tamen labor ac impensa nihil

ad eos pertineant, obstrepere parati sint. Fert profecto haec aetas nostra quales et pristina saecula tulerunt, et quidem, ut iam ante diximus, maiori quam umquam numero, qui alienae laudi strenue invideant; sive quod suam inde minui reformident; sive, ut C. Plinius in epistola ad Titum Vespasianum Caes. ait, *quod obtrectatione alienae scientiae famam sibi aucupentur.* V. Praef. Hist. Nat.

Multi praeterea, etiam ex urbanis ingeniis, bonas litteras vix aut ne vix quidem a limine salutarunt; et, ut Comicus scribit:

Homine imperito numquam quicquam iniustius: Terent. Adelp act. I. s. I.
Qui nisi quod ipse facit, nil rectum putat.

Eorum ergo orationes, vel potius *vitilitigationes*, ut pergamus cum eodem Plinio, et quidem censorii Catonis verbis, loqui, *sino praeterfluere.*

Ibid in Praef. His. Nat.

LXX. Superest quod de diplomatibus, aliisque veterum chartis moneamus. Magnum huiusmodi spicilegium iam instituimus; iam collectas spicas in horrea nostra recondidimus, a quibus non parva utique accessio fiet rei diplomaticae Belgicae, Gallicae, Italicae, nec non et Germanicae. Sed haec summatim describi haud posse, neque in compendium contrahi aut in breviarium, harum rerum periti facile nobiscum consentient. Caeterum, qui Schannati, Lunigii, Ludwigii, aliorumque apud Germanos hac in re labores praestantissimos, apud nos Miraei; in Britannia Rymeri, et quam doctissimi in

MM. *Moreau*, *Brequigni*, caet. etc.

Gallia viri alacritate maxima hodie [1] operam suscepere, vel leviter perspecta habuerint, facile agnoscent quid utilitatis ac commodi a sylloge hac diplomatica expectari possit.

Hisce, coronidis loco, adiiciemus non parvam segetem variarum epistolarum, tam historici quam politici argumenti, quas principes sive in re publica, sive in re litteraria, viri, saeculis XVI. et XVII. conscripsere. Has inter primo loco recensere est autographas epistolas omnes Ioachimi Hopperi ad Viglium Zuichemum, [2] Mantua

(1) Memoriae subducendum non est, haec nos anno MDCCLXXXIII. ineunte scripsisse.

(2) Epistolae hae, iamdudum, curantibus nobis, typis descriptae, vulgatae quidem non sunt; sed apud Batavos relictae, nomine nostro proxime edentur in publicum, et ante kalendas Martias, ni fallimur.

Carpentanorum datas, sub primis Belgicarum secessionum temporibus; quae quo in pretio habendae sint, fatebuntur omnes qui Viglianas illas ad Hopperum, quas Mechliniensis olim Archipresbyter *Van Papendrecht* tomo secundo Analectorum suorum Belgicorum magna cum studiosorum ac politicorum hominum gratia edidit, evolverunt. Et quis patriae nostrae historiae amans eas non evolvit? Viglianis itaque illis hae nostrae respondent, constituentque Analectorum istorum legitimam appendicem, Tomum scilicet Septimum; cui et Octavum adiiciemus, conflatum, si ita Superis placitum fuerit, ex Margaritae Parmensis ad Cardinalem Granvellanum Italico idiomate conscriptis epistolis, et propria feminae Principis manu signatis; ex quotidianis quoque

Hopperi ad Philippum Regem commentariis autographis, quibus ipsius Philippi manu plerumque responsum est: quae quidem responsa ex Hispanico in Gallicum convertemus, opera viri nobilis atque eruditi, et docti utriusque linguae; tum complura alia certissimae fidei monumenta, (quale illud Metsii, Episcopi Sylvaeducensis, de motibus Belgicis suorum temporum,) ex exemplaribus autographis pleraque transducta.

LXXII. Sed tempus est, dum ad finem properat oratio nostra, ut de duplici recentiori opere, rei omnis antiquariae diviti supellectile, cuius quoque in publicos usus promendae consilium nobis est, aliquid hìc moneamus. Vtrumque Alexandrum Wilthemium, eruditissimum e Societate Iesu virum,

autorem aut certe perfectorem habet, ab patruo scilicet eius Guilielmo Wilthemio, eiusdem Societatis Iesu Sacerdote, affectum inchoatumque. Primum Origines San-Maximinianas et coenobii illius Annales [1] libris VIII. complectitur: alterum Luciliburgensem (ita enim appellat) Historiam antiquariam omnem, libris III.

(1) De hoc opere ita Cl. Honthemius in Diss. de Script. Hist. Trevir. pag. 1005 et seqq.

Postquam libro I. ab anno 338 ad annum 456 erudite satis egisset de actis S. Agritii, de vita S. Maximini et discipulorum eius, de quaterna Trevirorum eversione, de variis inscriptionibus sepulchralibus Romanis intra muros Maximinianos erutis, etc. claudit hunc librum, sicut et sequentes, nonnullis dissertationibus, quas de rebus maxime dubiis et controversis instituit. Harum prima est de patria S. Helenae, quam Trevirensem esse *sustinet*.* Sed vereor ut rem confi-

Honthemii idioma, si Superis placet, latinum, nostrum non facimus, neque excusatum volumus; sicuti nec alia eius, maiora forte et non huius generis, sphalmata.

LXXIII. Quae horum operum apud eruditos exspectatio fuerit; qua ingenii ac doctrinae fama nobilis illa Wil-

ciat iis testimoniis, quibus utitur, nempe 1° praememorato Dagobertino diplomate, 2° nota marginali (recentiori utique,) quae antiquissimo codici Eusebiano, in primaria aede olim servato, his verbis adscripta est: *Helena Trevereos Galliae indigena*. 3° Fide commentarioli de D. Helena, quam sub imperio Caroli Calvi Hincmarus scribi iussit; et 4° Berengosi Abbatis, quorum verba recensuimus dissert. in saeculum VI, §. XXII. Demum, et 5°, testimonio nonnullorum recentiorum *chronicatorum*, * scilicet Ottonis Frisingensis Lib. III. cap. 45. Godefridi Viterbiensis ad annum 290, Auctoris chronici Reichersbergensis et aliorum. Vid. Brower. Annal. Trev. lib. IV. n. 14. seqq. et Masenii annot. in annum 327. pag. 576 seqq. Altera disputatio est de symbolo *Quicunque*, quod non Romae, sed Treviris in exilio a S. Athanasio scriptum hìc

* *Scriptores historicos, id est, autores alicuius libri chronici hic Honthemius indigitat, more suo loquens.* (Chroniqueuse.) *Sic superius dixerat:* sustinet; il sontient que telle chose est ainsi. *Haec semel indicasse sufficiat; si etenim scriptoris huius solaecismos omnes indicare aut adnotare animus esset, oporteret librum integrum scribere, et Honthemium fere exscribere.*

themiorum triga, Guilielmus et Alexander (quos ambos Societati Iesu nomen dedisse iam praemonui,) tum Eu-

defenditur. Verum cessat ea controversia, postquam S. Athanasium huius Symboli auctorem non esse hodie inter eruditos pro comperto reputatur. Vide Natal. Alexandri Histor. Eccles. tom. IV. saec. IV. cap. 6. art. 8. n. 9. Ceillier *Histoire générale des auteurs sacrés*, tom. V. cap. 2. art. 4. §. 19. etc. Tertia dissertatione quaerit Wilthemius, an, qui cum S. Maximino (referente Lupo in eius vita) Romam ivit Martinus, sit celebris ille Turonensis, an alius? eamque litem pro Turonensi decidit. At verius totum illud iter Romanum commentitium definiunt Antverpienses tomo I Septemb. pag. 624. seq. Vltima dissertatione in lib. I. occasione narrationis, quae legitur in D. Augustini Confessionum lib. VIII. cap. 6. per integra decem capita disputatur de casa, in qua Treviris servi Dei a Pontiano et sodalibus eius inventi; eamque ad monasterium S. Maximini pertinere adversus Browerum sustinet. Nos hanc quaestionem tetigimus dissert. in saeculum VI. §. XXIV. verbis Masenii, asserentis, Rheginonis prototypon Maximinianis haud favere; neque id hic negat Wilthemius, dum praesentis dissert. cap. IV. eam narrationem recentiori manu, quae tercenteno-

stachius, quem senatus patrius Praesidem habuit, orbi litterato innotuerint, ex iis quae in hoc indice nostro, tum

rum circiter annorum aetatem procderet, ad oram membranae adscriptam legit in Prumiensi codice. Continet ille codex Francorum Annales, Eginhardi commentarium de vita Caroli M. et Theganum, una perpetuaque manu cum Rheginone exaratos et denique ad calcem non variantibus litteris positum, *Anno Dominicae Incarnationis MLXXXIV. scriptum est hoc volumen ab Arnoldo scolari, praecipiente Domino Wolframno pio ac venerabili Abbate Prumiensis coenobii.*

Libro II. quem ab anno 456 ad annum 747 deducit, inter pauca, quae monasterium S. Maximini suppeditat, multis agit de Trevirensibus Archiepiscopis, Nicetio ad S. Maximinum sepulto, Hildulfo et Basino, eiusdem asceterii alumnis et Abbatibus. Binae huic libro dissertationes subiunguntur, quarum prima disputatur: num S. Nicetus monachus fuerit ante Episcopatum? In affirmativam auctorem nostrum inclinat imprimis vox *Cuculli*, quae apud Gregorium Turonensem lib. de vitis Patrum, cap. XVII. occurrit, ibi: *Saepe ipse* (Nicetius) *contecto capite Cucullo, ne agnosceretur in publico, cum uno tantum puero basilicas Sanctorum circuibat.* Sed magis adhuc verba: *in statutis coenobialibus eru-*

quae ad imam paginam adnotavimus, patebit abunde. Nihil itaque iis superaddemus.

---

diti: quae occurrunt in Epistola Floriani ad Nicetium, quam t. I. num. V. edidimus. Altera dissertatione multis agitur de genuina aera Episcopatus S. Hildulfi, cuius chronologiam, ut cum vita conciliaret, duos hoc nomine finxit Trevirorum Antistites. Sed nos hanc difficultatem aliter expedivimus in notis ad Privilegium Hildulfi, quod ad annum 670 referimus.

Post haec Wilthemius Annalium librum III. in annum 911 profert, in quo iam plures res Maximiniani coenobii: scilicet diplomatibus, quae deinceps occurrunt, subsidium ferentibus. Insimul tamen gesta Regum et Imperatorum, nec non acta Trevirensium Archiepiscoporum paucis prosequitur, *QVIBVS HAVD RARO INSPERGVNTVR, QVAE FRVSTRA ALIBI QVAESIERIS.* Inter haec notatu non indignum, quod ex bibliotheca S. Maximini de anno decessus S. Weomadi Archiepiscopi memorat. Nos post Mabillonium mortem Weomadi (quem ante annum 755 Trevirensem Cathedram tenuisse, diximus ad cartam Aegelberti de 1 Martii 712) anno 776 consignavimus. Browerus Annal. lib. VII. n. 223, annum obitus eius incompertum esse fassus, illum 781 conjectando defigit. Wilthemius noster eumdem ad an-

Et quoniam gradum sistere, locorum ac temporum nos rationes iubent, finietur hìc qui a nobis susceptus est,

num 791 refert, subsidio annalium MSS. in memorata bibliotheca servatorum, qui Moisiacensibus persimiles sunt, iis tamen multo vetustiores, quippe quod anno DCCCXI. exarati videantur, in quem desinunt. Carolo M. imperante conditos fuisse indubium facit, quod in eis sub anno, qui octingentesimum undecimum proxime antecedit, de Amorozio Caesar-Augustae Praefecto, in potestatem Caroli Imp. se tradente ita scriptum sit: *Amoroz Praefectus Caesar-Augustanae urbis, qui et Oscam ceperat, cum omnibus, quae habebat, in deditionem Domino nostro se venire promisit;* adeo ut scriptor horum Annalium plane de Carolo vivente videatur locutus. In iis itaque Annalibus Angilramno Metensi et Sindperto Ratisbonensi Episcopis mortuis medius interponitur *Wiomadus* (noster, uti haud vane auguratur Wiltemius,) in hunc modum: *Anno DCCLXXXXI. perrexit Dominus Karolus cum Francis et Saxonibus, cum Baiouvariis et Alemannis, et cum caeteris populis suis in Pannoniam ultra Omundesthorf, et cum triumphi gloria rediit, et hyemavit in Reganesburc. Egilramnus, Wiomadus, Sindpertus Episcopi obierunt.* Wiomadum mense Novembri defunctum,

et iam a biennio Antverpiensibus typis describi coeptus labor. Difficile enimvero esset ulterius progredi; tum quod

docent fasti Maximiniani his verbis: IV. id Novemb. ōcī. Wiomadi Archiepiscopi et Confessoris. Potuit Wiomadus, tamquam Missus Caroli M., quo eum munere functum diximus dissert. ad saeculum VIII §. VII. cum aliis Praesulibus castra illa Pannonica secutus, ibique aut in Bavariam cum Imperatore redux, morbo extinctus, indeque Treviros deportatus esse: hic enim ad Divi Maximini eius exuviae depositae noscuntur; perinde ut Angilramnus ad D. Naboris coenobium, quod ipse a Chrodegango captum, perfecerat, e Pannonicis finibus tumulandus reversus est. In tanta caligine, qua aerae Episcoporum nostrorum, qui hisce saeculis floruerunt, obductae sunt, minime veto nostra emendari, atque ita Pontificatum Richbodi a fine anni 791 aut initio sequentis auspicari.

Occasione diplomatis Ludovici Pii de 2 Aprilis an. 822 dato in *Longolano*, seu ut alii legunt *Longolare* (quod nos pro genuino non agnovimus) Wilthemius de huius nominis palatio tractat. Egere de eodem Mabillonius de re diplom. lib. IV. Eckard. rer. Francic. lib. XXIV. §. 55. Auctor Chron. Gottwicensis tomi prodromi lib. III.; sed ita Wilthemius: „ Longolare in Arduen-

destituti sumus historica nostra supellectile, quam bellicus furor tantum non consumsit: tum quod animo pariter et

„ na, proxime Novo-Castro (*Neuchateau en Ar-* „ *denne*) est vicus Francorum Regum, maxime „ si quando venandi studio in sylvam vacuos a „ curis sevocaret, celebre quondam palatium. „ Quamquam vereor vehementer, ne Novum-Ca- „ strum, quod non ultra teli iactum Longolare „ abest, ipsum aliquando Longolare sit; quod e- „ nim Longolare caput esset paroeciae ingentis „ (triginta nunc ibi vici sacra obeunt) facile in- „ ducor, ut Longolare ob sacrorum praerogati- „ vam vicini Novi-Castri nomen absorpsisse ar- „ bitrer. Neque id profecto adeo alienum est, „ quando circumfusis Arduennae nemoribus, qua „ late immensi saltus explicantur, *Longòlariae* „ sylvae nomen haesisse constat. „ Vide acta Dagoberti a Monachis D. Dionysii, Aimonius lib. IV. cap. 18.

Qua ratione D. Maximini, et aliarum Ecclesiarum praedia post Normannorum invasiones inter potentiores regni fuerint direpta, graphice describit ad annum 887. Nec indigna mihi visa sunt eius verba, quae hic legantur: „ Vivo etiam, inquit, Carolo M. cum regni unum esset „ caput, eae tamen turbae miscebantur; nunc eo „ mortuo, tot pro uno dominis, dici nequit, quae

corpore absumus a *secessu* illo *scribentis*, quem non carmina dumtaxat, sed aliae etiam litterae *poscunt*; et cum

„ exinde fuerit rerum colluvies. Parte alia non „ desinere sui similes esse Normanni, eoque foediora in divisum factionibus imperium edere, „ quo lacera, quam integra pessumdare minoris „ est operae..... Nec Clericorum magis quam „ Monachorum bonis parcitum. Vtroque unus „ Megingaudus Comes exemplum esto. Praefectus „ is erat in Meginensi agro, ubi Rhenus et Mosella confluunt, quod et Epternacensibus tabulis traditur. Ducem quoque Regni Lotha„ riensis appellavit Sigehardus. Etc.

Post hunc Lib. III. Wilthemius pro more binas disputationes instituit, quarum prior de Ada Caroli M. sorore. Notissimus est Eginhardi in vita Caroli M. cap. XVIII. locus, ubi erat, inquit, Carolo unica soror, nomine Gissa, a puellaribus annis religiosae conversationi mancipata, etc. Hoc tamen asserto minime territus Wilthemius, pro Ada litem decidit, fide lapidis saepulchralis in aede S. Maximini, cuius, praeter formam, hanc inscriptionem refert: ADA . ANCILLA . CHRISTI . SOROR . CAROLI . MAGNI. Libri quoque mortuales Maximiniani hanc Adae memoriam, donorumque eius servant: *V. Idus Θ Ada Ancilla Christi, piae memoriae filia*

Europa pene omni exoptato otio carere cogimur.

Interim ut curas nostras utili atque

Pipini Regis, soror magni Imperatoris Caroli, quae multa bona circa et infra Moguntiam et Wormatiam et in pago Nachove S. Maximino contulit, et textum Evangelii auro conscriptum et auro decoratum dedit, et post finem vitae hic sepulta in pacem quievit. Et vero cum Eginhardo in gratiam redeat noster, Adam Pipini naturalem filiam fuisse, interpretatur. Sed de his plura Cl. Eckard rerum Francic. lib. XXIV. n. 101, et ex hoc ipso quidem nostro MSS. Wilthemii, quod viderat. Altera disputatio de Lupo, Actorum D. Maximini conditore agitur; atque imprimis adversus Baronium Annal. Eccles. an. 838, n. 6 probatur, Lupum nondum fuisse Abbatem Ferrariensem, cum res I. Maximini litteris mandaret. Deinde Lupum X. Kal. Decembris an. 842. Ferrariae Abbatem creatum, evincit epistola Lupi XL. ad Rabanum. Denique minus recte a Browero in notis ad Carmina Rabani scribi, Rabanum anno 838 cesisse Haltoni Abbatis munus, cum sequenti anno 839 XVI. Kal. Augusti Rabanus etiamnum Fuldensibus praeesset, et eo loci multitudinem regeret monachorum, ut est in literis Ratfridae, scriptis anno XXVI. Aludovici gloriosissimi Imperatoris, ni-

honesto oblectamento aliquo levaremus, divitis Ausoniae peramoenas peragramus urbes; et non bibliothecarum

mirum Ludovici Pii. Ratfridae literae prostant lib. I. Thes. Antiq. Fuld. sed haec omnia versantur in supposito, quod vita S Maximini revera sit opus Ferrariensis Lupi; quod a recentioribus in controversiam trahi, supra §. VIII. insinuavi. Neque id quidem sine gravi ratione: ex quo Sigehardus in prologo Historiae miraculorum S. Maximini in Actis SS. Antverp. tom. VII. Maii pag. 25, lit. d. profiteatur, se ea iussum scribere, quae facta sunt post editum a Lupo EPISCOPO de vita S. Maximini librum; at Episcopi titulus Lupo Abbati non convenit.

Ex libro IV. qui ab anno 912 ad annum 957 provehitur, unicum saltem delibamus eruditis hactenus ignoratum, Maximinianis monimentis servatum. Pertinet id ad primum annum regiminis Ottonis M., qui est Christi 937. Ad eum annum Witikindus lib. II. Annal. pag. 644. Antiqui hostes Vngari venere virtutem probare novi Regis. Intrantes autem Franciam statuerunt, si possent ab occidentali plaga invadere Saxoniam. Rex autem audiens, nihil moratus, cum exercitu valido occurrit illis, fugavitque et a terminis suis abegit. De hac victoria ita in fastis S. Maximini: REX . OTTO . HVNGAROS . VSQVE . METTIS .

tantum forulos excutimus, atque ab illustrandis rebus patriis animum non abducimus; sed et a Musa historices,

---

CIVITATEM . PERSEQVITVR. Inde barbaros, in Gallias effusos, omnia urendo populandoque foedasse ex Flodoardo et aliis intelligitur.

Dissertatione unica, huic libro subnexa, de tribus Remigiis agitur, singulis litterarum eo aevo professoribus. Primus Autisiodorensis, cuius discipulus Folco, teste Flodoardo Hist. Remen. lib. IV. cap. 9. initio saeculi X. duas scholas Remis, Canonicorum scilicet loci, atque ruralium Clericorum iam pene delapsas restituit et evocato Remigio Autisiodorensi Magistro, liberalium artium studiis adolescentes Clericos exerceri fecit. Alter Remigius Mediolacensis, in Treviris, Abbas, de quo vetus scriptor rerum D. Luotwini. Post hunc Remigio committitur regimen Mediolacensium in cuius cordis sacrario sapientia sibi placitam aedificaverat domum. Talis enim scientiae plenitudo illi inerat, et ita secularium, et divinarum exercitationibus litteratorum proprios et ad se confluentes ubertim imbuerat ut multi Monachi et Clerici ex omnibus Galliae partibus ad suum Magisterium convenirent, ut de tali fonte sapientiae arida corda rigarent. Tanta etiam discipulis eius provenerat profectio, ac sic in cordibus eorum pii Magistri fructificabat

poëtices, immo ab ipsa philosophia, in adversis rebus solatium petimus. Praecipue vero, maxima cum voluptate cla-

---

affectio, ut ad summam scientiae arcem attingerent, et ad propria redeundo, confines, et omnium Galliarum regiones luce Mediolacensis seminarii perfunderent Quidam itaque ex illis ad Episcopatum sunt promoti, alii Abbates sunt effecti, fecit quidam de proprio patrono Lintwino sermonem in eiusdem patris legendum annuam festivitatem. Rogatus insuper a Stephano et eius socio Blandiniensibus Monachis, de S. Bavone cantum composuit nocturnalem, quem illi ad propria reportabant gaudentes, omni thesauro cariorem. Iussu etiam Eckberti Episcopi de Confessoribus Christi Euchario, Valerio, Materno, dulci modulatione composuit historiam, cui de Evangelio: *Designavit Dominus in illo die, etc.* legendam annexit omeliam. Illi autem Remigio Abbati Otto Imp. camenam misit gracilis avenae, munus ob suavitatem musicae artis in illo iam probatae. Fecit et regulas de divisionibus Abaci. Fecit et excerptionem Prisciani super octo partes donati etc. Nos de hoc Remigio et literario eiusdem commercio cum Gerberto pluribus dissert. in saecul. X. §. X. et XII. Tertius Remigius prioris fuit ex sorore nepos, qui sub Nizone I. Mediolacensi Abbate, post mortem

rissimorum hominum vestigamus ingenia, quae in hisce oris et multa sunt, et magna in luce posita. Scilicet seden-

Ottonis III. Imp. ac dein Poppone in Trevirensi cathedra sedente, apud Mediolacum inter alios viros doctos floruit. Ita de eo scriptor paulo ante relatus. E quibus Remigius, prioris Remigii sororis filius, dulcore eius sapientiae repletus, Promiensium, Metensium, Trevirensium doctissimus scholarum fuit, quo etiam semen doctrinae eius in cordibus discipulorum latius, longiusque uberrime fructificavit. Dehinc pro mercede laborum congregationi S. Martini est praelatus. Quem locum frequentia discipulorum et spiritualis palestrae exercitio adornatum, quacunque quaesitis ditavit opibus.

Librum V. ab anno 957 ad 1001 prolatum, ac pluribus diplomatibus (quae et nos pleraque edimus) ornatum, claudit dissertatione in plures quaestiones distincta de Adelberto, e coenobio S. Maximini ad Magdeburgensem Archiepiscopatum assumpto. Postquam deinde librum VI. in annum 1048 eodem quo priores ductu, provexisset, disputationem de S. Simeone duobus capitibus instituit quorum primo indagat, cuius monasterii Abbas fuerit Eberwinus, conditor vitae S. Simeonis? eamque quaestionem pro Tholeiensi Abbatia definit, iisdem fere argumentis,

te ad rerum publicarum gubernacula Pontifice Opt. Max., et re et nomine, vere PIO; eaque sapientiae ac fortitu-

---

quibus et nos ad literas Popponis de anno 1030 usi fuimus. Altero capite adversus Browerum Annal. Trev. lib. XI. n. 58. obitum Beati Simeonis in anno 1035 statuit a vetusto codice basilicae eiusdem Sancti; quem enim titulum Browerus l. cit. e diariis bibliothecae aedis primariae Trevirensis profert, is secum ipse pugnat cum neque annus MXXXIV. neque indictio II. in annos decimum regni et octavum imperii Conradi, et decimum octavum Archiepiscopatus Popponis conveniant. Lib. VII. ad annum 1080 pertingit. Postremus in anno 1130 desinit, non Maximinianis solum, sed universim Treviris quorum acta erudita non minus quam studiosa manu identidem delibat, absolute operis desiderium relinquens.

Opus Wilhelmi seu Guilielmi Wilthemii, quod et nos perbelle in charta linea scriptum servamus, et ex quo rarioris momenti fraterno Alexandri operi adnectemus, hunc titulum servat. *Historia Luxemburgensis antiquariarum disquisitionum libri tres*. De eo ita Honthemius de Script. Hist. Trev. pag. 1017 et seqq.

Primo libro Wilhelmus agit de populis, qui Romanorum temporibus Luxemburgensem agrum incoluere. Altero loca Luxemburgica a Romanis

dinis laude, quae ei divinitus datae sunt, Christianum orbem moderante, extollere sese amant viri in omni disci-

---

specialius in et ex culta designantur. Tertio tractatur de rebus intra fines Luxemburgensium per Romanos gestis.

Primum librum in XXV. capita partitus est, quorum I. II. et III. Luxemburgum veteris Arduennae portio fuisse demonstratur, Sed et hoc nos dissertationis nostrae primae seu praviae §. VI. de Treviris probavimus. Cap. IV. et V. de Metallariis Romanorum officinis ad Arduennam et priscis Fabricensium institutis tractat noster, suaque asserta patriis marmoribus firmat, non hic solum, sed et in sequentibus plerumque. Cap. VI. quinque in Arduenna, Cynegia, id est officinas textorias fuisse, probat: scilicet unam Treviris, alteram Metis, Augustoduno illuc translatam, utramque in Belgica prima: tertiam Rhemi, quartam Tornaci, utramque in Belgica secunda; quintam item Treviris sub dispositione viri illustris Comitis rerum privatarum. Cap. VII. et VIII. in numina gentilium Provinciae Luxemburgensis inquirit, inter quae Princeps Diana. Qui veteris territorii Luxemburgici incolae fuerint, Cap. IX. et X. indagat, eosque imprimis Belgas statuit et maxima quidem parte Treviros, quippe quorum se-

plinarum genere ac nobilitatis gradu illustres, immo et feminae, Italiae et sexus sui decora. Vivit vigetque apud

des Caesaris aevo, et deinceps usque ad Francorum adventum ab extremis Rheni ripis ad Mosam usque producerentur. Sed de hoc a nobis distinctius actum est tom. I. dissert. praev. §. II. seqq. Addit Wilthemius, nec incongrue Trevericos fines ipsis his locis atque oppidis minutius consignari posse, si ea putentur eiusdem populi olim fuisse, quae hodieque ecclesiasticae Trevirorum iurisdictionis etiamnum sunt, quippe quod primi fidei nostrae assertores in more habuerint, ut dioeceses iisdem fere limitibus circumscriberent, queis suas gentiles provincias; idque in Galliis potissimum obtinuisse. Dum cap. XI. Trevirorum antiquitatem et originem perscrutatur, recte definit, hanc tantis vetustatis tenebris esse involutam, ut certe nihil de ea statui valeat, quum quod omnium consensu Cisalpinatum urbium antiquissima. Cap. XII. de prisca Trevirorum magnitudine sollicitus, multiplex eis elogium ex Romanis scriptoribus tribuit: quod nempe fuerint domicilium Romanorum Principum, iuris et legum, musarum et litterarum, sedes martis et belli etc. Lustrat deinde urbis amplitudinem, opes, aedificia et opera publica. Denique civitatem Trevirorum fuisse cla-

Septem Colles, non tam Regiae Maiestatis, quam ipsius Apollinis ac Musarum Legatus, ex Iberia illa magnorum

---

rissimam, excellentissimam, summam nobilissimam vere Augustam, et alteram Romam Romanorum scriptorum testimoniis evincit. Sed haec omnia luxu, ebrietate, inertia pessumdata sunt, teste Salviano lib.VI. de Providentia. Sequentia quinque capita investigandis aliis populis, qui nonnullas hinc inde partes ab agro Luxemburgensi delibarunt, destinat: nempe Mediomatricibus, Condrusis, Segnis, Coeresis, Poemanis Leucis. Quaerit etiam, an Luxemburgum sit Augusta Romanduorum et num Glubi seu Virodunenses aliqua parte in Luxemburgensi olim solo fuerint? et prius quidem recte negat, posterius affirmat. Cap. XVII. quaestioni destinat: cuiuius Belgicae et Germanicae pars fuerint singulae Luxemburgi portiones? scilicet maxima sui parte, ea nimirum, quae Treviris, Mediomatricibus, Leucis et Virodunensibus parebat, ad Belgicam primam: illa vero, quae Condrusis, Segnis, Poemanis et Coeresis, ad Germanicam secundam pertinuisse, definit. Reliqua lib. I. capita, quorum adhuc septem supersunt, fluviis ducatus Luxemburgensis dicat, horumque memoranda et antiquitates perlustrat. Huc pertinent Mosa, et qui in eundem sese exonerant Carus, Somena, Vrta,

ingeniorum feraci, Eques de Azara: vivunt alii, ex Purpuratorum etiam ordine Eminentissimi Viri. In Hetruriae Me-

Laetia, Homo; item Mosella, huiusque coniugales Sara, Sura, Pronaea, Nemesa, Alisontia, Gelbis, Lesura et Orna. Mosellae varia nomina et encomia ex Ausonio, Fortunato, aliisque repetit; scilicet speciosus, ingens, areteus, dominus, corniger etc. Cap. XXIII. studiose examinat; an Mosella sit Obrincus Ptolomaei, qui lib. II. Geog. cap. 9. pars regionis, inquit, quae ad Rhenum est, a mari usque ad Obringam fluvium dicitur Germania inferior; quae a fluvio Obringa est ad meridiem, vocatur superior Germania. Negat id Wilhelmus Wilthemius, Obringam in Trans-Rhenana ripa quaerendum statuens, quippe quam Romani iam oppugnabant et in provinciam redigere cupiebant, unde Maenum esse contendit qui fluit per arva Obringae quasi ocius, Oberrhin-gaw. Sed oppugnat Wilhelmum Alexander frater in Luxemburgo Romano lib. II. cap. 6, qui tamen inter plures concertantium sententias nulli subscribit, salva Ptolomaei reverentia quem inextricabilia tradisse, nonnulli criminantur.

Libri II. cap. I. regias, et militares Romanorum vias demonstrat: ac imprimis quidem Remis Treviros per Ivodium, Orolaunum, Andethannam;

tropoli, tum apud Pisas; in Vrbe Felsinea, ubi haec scribo; Parmae; Mutinae; (et ubi non?) scriptores diligen-

Treviris Coloniam Agrippinam per Bedam, Ausanam, Ieorigium; Treviris Divodurum per Caranuscam et Ricciacum, aliam item Treviris Divodurum per Mosellae ripam Luxemburgensem; quartam Treviris, per Alt-Trier, villam Praepositurae Epternacensis, Bastoniam et Andennas hodiernas, ad Poemanos seu Famanam, ac deinceps in Belgium. Capite II. in Luxemburgi eiusque nominis originem indagat, quam frustra a laetorum lignorum stativa derivat, cum simplicissima simul ac verissima sit, quae a Lützel-burg, id est parvo castro petitur. Vide cartam nostram San-Maximinianam de 17 Aprilis an. 963, et ibi not. e. Perigit deinde cap. III. ad veteris Luxemburgi varias mutationes, numismata, inscriptiones etc. etc. quibus cap. IV. Luxemburgi hodierni opera publica eorumque origines subiungit. Capite V. Mansfeldici palatii marmora lustrat et explicat. Quid a Marte Luxemburgum, quid a Luxemburgo Mars et Musae retulerint, cap. VI. recenset. Scrutatur deinde cap. VII. et seqq. alia prisca Romanorum monumenta, per provinciam Luxemburgensem sparsa, scilicet in Berckum, Hostert, Keln, in castris Romanorum Dalemensibus et Monte Tetrici vulgo Tittenberg,

tissimi, acutissimi, laude ac fama sua maiores; qui chartis illinunt, quae cedro digna; atque *arbores serunt, quae*

---

in Epoissio id est, Ivodio, Orolauno seu Arlon, Andethanna hodie Anven. Monumento Secundinorum Iglensi totum caput XIII. sacrat. Prosequitur deinde cap. XIV. antiquarium suum iter Bedam, hodie Bidbourg. Post cap. XV. in Alt-Trier, quod ab ala Trevirorum, Tacito saepius memorata, appellatum Wilthemius coniecit sed a sola nominis similitudine. Inde cap. XVI. ad fanum Apollinis hodie, Bollendorff ad Suram, haud procul Epternaco. Vtrum Divodurum, Tacito, Ptolomaeo et itinerariis cognitum, Theodonis-Villa sit vel Metae, cap. XVII. proponit, et pro urbe Metensi resolvit, viam monstrantibus militaribus Romanorum viis, quae Treviris ducunt ex utraque Mosellae ripa non Theodonis Villam sed Metus; eo nempe, unde et Rhemis et Cabillone ducuntur viae in Itinerario Divodurum assignatae. Cap. XVIII. de antiquitatibus tractat, quae supersunt in Marvilla, Martia, Montismedio, Solubrio et aliis locis.

Lib. III. prioribus tribus capitibus noster refert acta in finibus Luxemburgensibus (rectius in Trevirícis) ante Christi Nativitatem. Cap. IV., V. et VI. res gestas in iisdem finibus primo Aerae Christianae sacculo, ubi de primorum Trevi-

etiam *alteri saeculo prosint;* quod excellentium virorum est: ut sine invidia aut mendacii fuco exclamare liceat:

rensium Apostolorum Eucharii, Valerii et Materni adventu more vulgari agit. Hac occasione de vetustis Trevirensis Ecclesiae finibus tractans, eos Belgicae primae ita commensurat, ut quae etiamnum ad spirituale memoratae Ecclesiae regimen pertinent, eiusdem Belgicae primae fuisse reputet; adeoque Germaniam primam infra Navam haud descendisse, Germaniam secundam supra Andernacum (quod hodieque Treviricae Archidioecesis est) non ascendisse reputat. Quae quidem ego verissima censeo; atque adeo Trans-Rhenanas terras, nulla provincia Romana comprehensas, sacris nostris non ab origine quidem paruisse, sed primaevorum Antistitum nostrorum zelo, et ne una quidem vice, lucrifactas autumo. Idque vel inde etiam colligitur, quod Limburgum ad Lhanam, ut de remotioribus locis, Wetzlaria, Werhemio etc. iam nihil memorem saeculo demum XI. nostrae Archidioecesi assertum legatur; uti ad cartam Ludovici Infantis de 10 Febr. an. 910 nota a. observavimus. Adde Broweri Annal. Trev. lib. IV. n. 70. Iis quae supersunt, capitibus, auctor noster reliqua Romanorum gesta in finibus Luxemburgorum, usque ad Francorum adventum, indagat; speciatim autem cap. VII. numisma-

Salve magna parens frugum, Saturnia tellus,
Magna virûm.

Haec certe animos nobis addiderunt, ut diu multumque a nobis desuda-

---

ta Principum aliquot Romanorum, Vitellii successorum, usque ad Commodum. Cap. X. nummos Augustorum Commodum inter et Constantinum Chlorum, cap. XII. numismata ad Constantini M. familiam spectantia, demum cap. XV. Imperatorum numismata a Constantino usque ad Honorium, et ea quidem omnia in agro Luxemburgensi reperta, lustrat et interpretatur.

Operis inediti delineationem hic intueri, nemini porest esse ingratum. In octo illud libros divisum est, horum primi capite I. dum provinciae Luxemburgensis situm in veteri Arduenna quaerit, Celticum vocabulum Arduennam esse autumat, qua terminatione apud Tacitum Baduenna, et alibi id genus alia. Nec huic solum nostrae proprium id nomen, quando et in veteri Saxonia, ubi nunc Westphali, sua Arduenna, er in Gallia olim plures. Cap. II. inquirit in Arduennae opes, fruges praesertim et pecora, inter quae oves hodieque laudantur; de equis autem vulgatum est illud Caesaris lib. V. de Bell.

tus labor, qui sub funerea τῶν ἀπαιδεύτων manu delitescebat, typis describeretur; maiora, si vita ac Superi comites fuerint, etiam daturi.

Gall. Haec civitas (populus nempe Trevirorum) longe plurimum totius Galliae equitatu valet. Ferri metalla et fabricae in Arduenna nullo non tempore uberrima. Hinc et apud Romanos in ea fabricae armorum: scilicet Rhemis Spataria; etc. etc.

